Lectionarium

Sanctae Mariae Virginis,
Sancti Thomae Cantuariensis,
Sancti Augustini,
Sanctae Kyneburgae Gloucestriensis, et
Sancti Kenani de Hibernia.

Cura W. H. Hart, F.S.A.

Londini:
mdccclxix.

LONDON: PRINTED BY
SPOTTISWOODE AND CO., NEW-STREET SQUARE
AND PARLIAMENT STREET

INTRODUCTION.

The Manuscript from which the text of this little volume has been taken is preserved among the Lansdowne Collection, British Museum, No. 387. It was formerly in the possession of James West, whose name appears upon one of the fly leaves, together with this memorandum: 'I bought this book of Morgan Graves, Esq., son of that excellent antiquary, Richard Graves, of Mickleton, in Gloucestershire, February the 18th, 1731.' It is in octavo, consisting of forty leaves, written in the same hand throughout, and is of the fifteenth century. It is full of blunders, and corrupt in the extreme; and as no other copy, to the best of my knowledge, is in existence, it has been very difficult to deal with satisfactorily. I must therefore beg the reader to make due allowance for obscure passages, which I am afraid abound. To have noted all the emendations which I have been forced to make, would have disfigured the pages to a considerable extent; I have therefore thought it better not to admit notes of this kind. To any one who may have the curiosity to compare the print with the MS., the emendations will be obvious. A simple examination of two or three pages only

will, I think, satisfy the reader that any license I may have used in the task of editing, has been not merely permissible, but necessary.

The volume itself is a lectionary or service book, containing lessons, prayers, hymns, psalms, and other devotions for the canonical hours, and for special masses in honour of our Blessed Lady, Saint Thomas of Canterbury, Saint Augustine, Saint Kyneburgh of Gloucester, and Saint Kenan, Bishop and Confessor, of Ireland.

Saint Kyneburgh is briefly mentioned in the history of Saint Peter's Monastery, Gloucester, published under the direction of the Master of the Rolls, among the Chronicles and Memorials of Great Britain; but with this exception, the account given of her in the present volume is, I believe, unique, and may therefore be not unwelcome to those who are interested in the lives of the English Saints. With these few observations I will let the little book speak for itself.

W. H. HART.

LINCOLN'S INN CHAMBERS, 40 CHANCERY LANE:
July 1869.

Lectionarium.

In commemoratione Beatae Mariae.

Lectio prima.

SACROSANCTAM Venerabilis Dei Genitricis Mariae memoriam congrue divinis laudibus Catholica frequentat Ecclesia, quia ejus sine intermissione salutari indiget auxilio. Nam reverentia quae matri defertur, illi etiam qui eam talem fecit ut virgo et mater esset exhibetur. Ideo ergo totis desideriis, totisque praeconiis, ejus insistamus laudibus, ut et matrem sentiamus nobis piissimam filiumque ejus judicem serenissimum. Haec est virgo quae antiquum diabolicae deditionis cyrographum abolevit, totique saeculo subvenit, et coeleste regnum credentibus patefecit, dum per Spiritum Sanctum Dei filium concepit.

Lectio secunda.

OPERAE pretium quippe est, ut intentis celebretur laudibus in terris, cui offi iosissime angeli famulantur in coelis. Nam si eam ille praecipuus Gabriel, humiliter salutans, honorabat in terris, multo amplius eam super coelos exaltatam, et ut ita dicam in throno Dei collocatam, nunc cum omnibus Sanctis honorat laudibus dignissimis.

Haec est sola cui nulla virgo potest comparari,
Quia tanta est ut quanta sit non possit enarrari.

Hanc Sancti expectabant Patriarchae, hanc Sancti praecinebant Prophetae, omnesque quos Spiritus Sanctus attigerat optabant videre.

Lectio tertia.

HAEC tanta tamque sancta regia virgo digno exigit venerari praeconio, cujus constat mundus salvatus suffragio. Haec est, inquam, fenestra coeli, aurora solis, aeterni janua paradisi, veri et arca propitiatorii. Haec est igitur domina regum, decus mulierum, gemma virginum, lux saeculorum, congratulatio angelorum, consolatio miserorum, refugium peccatorum, omniumque reparatio credentium. Quicquid igitur boni habet mundus, ab illa suscepit, ex qua nostrae salutis initium manet, cui divino munere collatum est, ut inter foeminas prima gloriosissimum Deo virginitatis munus offerret. Unde jure angelico simul et affatu et visione meruit perfrui, quae angelicam studuit vitam imitari. Vere gratia erat plena, cui ipsum, per quem gratia et veritas facta est, Jesum Christum, generare donatum est, et ideo Dominus erat cum illa, quam et prius novo castitatis amore a terrenis ad coelestia desideranda sustulit, et postmodum mediante humana natura omni plenitudine divinitatis consecravit. Haec nobis semper suis subvenire veneratoribus dignetur, atque pie sacris precibus a vitiis purget omnibus, seque considerare et collaudare donec in coelestibus per eum qui vivit et regnat in saecula saeculorum. Amen.

Item Lectio prima.

QUID, fratres carissimi, in laudibus Dei Genitricis Mariae referamus, cum etsi omnium nostrum membra verterentur in linguas eam laudare sufficeret nullus? Altior coelo est, de qua loquimur, abysso profundior, cui laudes dicere conamur. Deum enim quem omnis creatura non capit, ipsa in immaculato utero clausum gestavit. Haec enim est, quae sola meruit mater et sponsa vocari. Haec primae matris damna reseravit. Haec homini perdito redemptionem adduxit. Mater enim generis nostri poenam intulit mundo, Genitrix Domini nostri salutem

edidit mundo. Auctrix peccati Eva, auctrix meriti Sancta Maria. Eva occidendo obfuit, Maria vivificando profuit. Illa percussit, ista sanabit.

Lectio secunda.

QUAE enim virgo est tam sancta ad quam venire dignaretur Dei filius et Spiritus Sanctus ejus? Quae tam speciosa, ut eam sibi Deus eligeret sponsam? Quae tam casta, ut esse possit virgo post partum? Haec Dei est templum, fons ille signatus, et porta in domo domini clausa. Ad hanc namque, ut dixi, Spiritus Sanctus descendit, huic virtus Dei obumbrabit Altissimi. Haec immaculata coitu, foecunda partu, virgo lactans, angelorum et hominum cibum nutriens. Merito itaque beata singularia nobis praeconio extollitur, quae singulare commercium mundo praebuit. Denique tantum se ad coeli fastigia sublevabit, ut verbum in principio apud Deum de superna coeli arce susciperet.

Lectio tertia.

O FELIX Maria, et omni laude dignissima, O genitrix gloriosa, O sublimis puerpera, cujus visceribus Auctor coeli terraeque committitur. O felix puerperium, laetabile angelis, optabile sanctis, necessarium perditis, congruum profligatis. Qui post multas assumptae carnis injurias, ad ultimum verberatus flagellis, potatus felle, affixus patibulo, ut te veram matrem ostenderet, verum se hominem patiendo monstrabit. Sed quid dicam pauper ingenio, cum de te quicquid dixero minor laus est quam dignitas tua meretur? Si coelum te vocem, altior es. Si matrem gentium dicam, praecedis. Si formam Dei appellem, digna existis. Si dominam angelorum vocem te, per omnia esse probaris. Quid ergo de te dicam? Quid referam, cum non sufficiat lingua carnis tuas enarrare virtutes? Has interim laudes sileat lingua carnis quas semper ardenter intus proferat animus.

R. Super salutem.

In commemoratione S. Thomae Martyris.

Lectio prima.

GLORIOSI martyris Thomae fratres carissimi memoriam celebrantes, quia totius vitae et conversationis ejus insignia recolere non sufficimus, passionis ejus modum causamque succinctus sermo percurrat. Sanctus igitur Thomas, sicut in cancellariae vel archidiaconatus officio in rebus gerendis incomparabiliter extiterat strenuus, ita et post susceptum pastoris officium, supra humanam aestimationem, factus est Deo devotus. Consecratus enim repente mutatus est in virum alterum, cilicium clam induit, et sub vestis clericalis honestate habitum celans monachalem, carnem prorsus coegit servire spiritui, Deo studens omnium virtutum exercitio sine intermissione placere. Sciens quoque cultorem positum in agro dominico, in vineis custodem, pastorem in caulis, ministerium sibi creditum studiose complevit, jura et dignitates ecclesiae, quas publica sibi potestas usurpaverat, resarcire, et in statum debitum revocare conatus est. Unde gravi quaestione super jure ecclesiastico, et regni consuetudinibus, inter ipsum et regem Anglorum exorta, facto consilio propositae sunt consuetudines illae quas idem rex tam archiepiscopi quam suffraganeorum suorum scripto roborari pertinaciter exegit. Negavit constanter archiepiscopus, manifestam in eis asserens libertatis ecclesiasticae subversionem.

Lectio secunda.

AFFECTUS est igitur Beatus Thomas contumeliis immensis, damnis gravioribus attritus, et innumeris lacessitus injuriis. Tandem sibi morte intentataquia causa ecclesiae non dum plene innotuerat, et personalis videbatur persecutio, cedendum censuit esse malitiae. Actus ergo in exilium, a domino Papa Alexandro Senonis

honorifice susceptus est, et in monasterio Pontiniacensi studiose commendatus. Confiscantur interim in Anglia omnes archiepiscopi redditus, vastantur praedia, possessiones diripiuntur, et excogitato novo supplicii genere, tota simul proscribitur Thomae cognatio. Omnes etiam amici ejus et familiares, vel quicumque eum quocumque titulo contingebant, sine delectu conditionis aut fortunae, dignitatis aut ordinis etiam, aut sexus pariter relegantur. Nam et senes, et decrepiti, vagientes in cunis, et mulieres in puerperio decubantes, in exilium acti sunt. Quotquot autem discretionis annos attigerant, tactis sacrosanctis jurare compulsi sunt, quod mari transito, statim Cantuariensi archiepiscopo se praesentarent, ut, vel compassionis gladio totus confossus, conceptum animi rigorem ad regis voluntatem conflecteret.

Lectio tertia.

SED vir Dei, manum suam mittens ad fortia, exilium, damna, contumelias, et opprobria parentum, et amicorum proscriptionem pro Christi nomine constanter sustinuit, nulla prorsus fractus aut immutatus injuria. Tanta namque fuit confessoris Christi constantia, ut omnes coexules suos docere videretur quod omne solum est forti patria. Audiens ergo rex immobilem constantiam ejus, directis per abbates quosdam Cisterciensis ordinis ad capitulum generale comminatoriis eum a Pontiniaco perturbare curavit. Timens autem Beatus Thomas, occasione sui, viris sanctis imminere dispendium, sponte recessit. Sed antequam inde progrederetur, divina revelatione confortatus est, ostenso sibi coelitus indicio, quod ad ecclesiam suam reditu.us esset cum gloria, et per martyrii palmam migraturus ad Dominum. Ultima vero Beati martyris verba haec fuerunt: Deo, et Beatae Mariae, et Sancto Dionisio, et Sanctis omnibus hujus ecclesiae patronis meipsum commendo, et ecclesiae causam. In omnibus cruciatibus quos invictissimus Dei athleta pertulit, non clamorem emisit, non gemitum edidit, non brachium aut

vestem ferienti opposuit; sed caput quod inclinatum gladiis exposuerat, donec consummaretur, tenens immobile, quasi ad orationem prostratus, obdormivit in Domino.

Item alia lectio de S. Thoma Episcopo et Martyre.

PASSURUS autem in ecclesia sua Beatus Thomas Cantuariensis archiepiscopus, antequam Christi martyr fieret, cum se audisset a militibus inquiri, qui ad hoc venerant in turba clericorum et monachorum, vociferantibus, Ubi est archiepiscopus? occurrit eis vultu intrepido dicens, Ecce ego! quid vultis? Cui unus funestorum militum in spiritu furoris intulit, Ut modo moriaris; impossibile est enim ut ulterius vivas. Respondit autem Beatus archiepiscopus, non minore constantia verbi quam animi, quia, ut omnium martyrum pace dicam, nullus eorum videtur in passione isto fuisse constantior, Et ego pro Deo meo mori paratus sum, et pro assertione justitiae et ecclesiae libertate. Sed si caput meum quaeritis, prohibeo, ex parte Omnipotentis Dei, et sub anathemate, ne cuiquam alio, sive monacho, sive clerico, vel laico, majori vel minori, in aliquo noceatis, sed sint immunes a poena, sicut extiterunt a causa. His dictis, videns carnifices eductis gladiis, in modum orantis inclinavit caput, haec novissima proferens verba: Deo, et Beatae Mariae, et Sanctis omnibus hujus ecclesiae patronis, et Beato Dionisio, commendo meipsum et ecclesiae causam.

Lectio secunda.

QUIS sine suspiriis, singultibus, et lachrymis, referat singula quae carnifices immanissimi, timore Dei contempto, et tam fidei quam totius humanitatis immemores, commiserunt? Parum erat funestis carnificibus sanguine sacerdotis et nece profanare ecclesiam et diem sacratissimam incestare, nisi corona capitis, quam sacri

chrismatis unctio Deo dicaberat, amputata, quod dictu horribile est, jam defuncti ejicerent cerebrum, et per pavimentum cum cruore et ossibus crudelissime spargerent, immaniores Christi crucifixoribus, qui ejus crura, quem obiisse viderant, sicut adhuc viventium, non censuerunt esse frangenda. Sed in his omnibus cruciatibus, invicti animi et admirandae constantiae martyr egregius nec clamorem emisit, nec edidit gemitus, nec brachium aut vestem opposuit ferienti, sed caput quod inclinatum gladiis exposuerat virtute admiranda, donec consummaretur, tenebat immobile, et tandem in terram procidens recto corpore, non pedem movit, nec manum.

Lectio tertia.

CUM autem Beatissimi martyris corpus sepulturae esset tradendum, et, de more, pontificalibus induceretur, inventum est cilicio vermibus referto involutum, ipsaque ejus femoralia interiora usque ad poplites cilicina, quod antea apud nostrates fuerat inauditum, reperta sunt. Exterior tamen habitus caeteris conformabatur, juxta sapientis edictum dicentis: Frons tua populo tuo conveniat, intus omnia dissimilia sint. Quis referet quos gemitus, quantos lachrymarum imbres sanctorum coetus qui aderat in revelatione sic adumbratae religionis emiserit? Nec tamen in his omnibus persecutorum quievit furor dicentium corpus proditoris inter sanctos pontifices non esse humandum, sed projiciendum in paludem viliorem, vel suspendendum esse in patibulo. Unde sancti viri qui aderant, vim sibi timentes inferri, eum in cripta, antequam satellites Satanae, qui ad sacrilegia perpetranda convorati fuerant, convenirent, ante altare Sancti Johannis Baptistae et Sancti Augustini Anglorum Apostoli in sarcophago marmoreo sepelierunt, ubi ad gloriam Dei Omnipotentis per eum multa et magna fiunt miracula caterbatim confluentibus populis, ut videant in aliis et sentiant in seipsis potentiam et clementiam ejus, qui semper in Sanctis suis mirabilis est et gloriosus. Amen.

In commemoratione S. Augustini.

Lectio prima.

BEATUS itaque Augustinus ex provincia Africana civitate Tagathensi de numero curialium honestissimus valde parentibus oriundus fuit, cujus carnalis pater Patricius, mater vero Monica nuncupata est. Ipse puer nutritus sub diligentia, et litteris imbutus, in scholam missus ad plenum eruditus est. Una autem dierum, nimio dolore stomachi vexatus, anxie valde laborabat; hortante beata matre ut baptisaretur, renuente gentili patre, ejus baptismum dilatum est; interim vero, miserante Dei gratia, dolore quiescente, sanatus est. Cujus mundatio ad hoc dilata est, quasi necesse esset ut adhuc sordidaretur si viveret, quia majus peccatum esset si post baptismum peccaret. Graecas namque litteras quibus docebatur oderat, Latinas satis diligebat.

Lectio secunda.

INTEREA pervenit in librum quendam Ciceronis cujus linguam pene omnes mirantur, pectus non ita. Sed liber ille ipsius exhortationem continet ad philosophiam, et vocatur Hortensius. Ille vero liber mutavit affectum ejus, et ad ipsum Dominum preces ejus et vota mutavit, ac desideria ejus fecit alia. Viluit ei repente omnis vana spes, et immortalitatem sapientiae concupiscebat aestu cordis incredibili, et surgere coeperat, ut ad Deum rediret. Erat tunc annorum decem et novem, defuncto jam patre ante biennium. Hoc enim solo delectabatur in illa exhortatione, quod non illam aut illam sectam sed sapientiam ut diligeret et quaereret et teneret fortiter excitabatur. Et hoc solum eum in tanta flagrantia refringebat, quod nomen Christi non erat ibi, quia hoc nomen Salvatoris in ipso adhuc lacte mat is tenerum cor ejus

pie biberat, et alte retinebat, et quicquid sine hoc nomine fuisset, quambis et expolitum et veridicum, non eum totum rapiebat.

Lectio tertia.

INTEREA usque ad eas perductus est nugas, ut crederet ficum plorare cum decerpitur, et matrem ejus arborem lachrymis lacteis. Proinde multum pro eo flebat ad Dominum mater ejus, amplius quam flerent matres corporea funera. Exaudivit eam Deus, nec despexit lachrymas ejus. Et vidit somnium, se cum filio vivere et habere secum eandem mensam in domo. Quod illa jam nolebat, detestans blasphemias erroris ejus. Vidit enim se stantem in quadam regula lignea, et advenientem ad se juvenem splendidum, hilarem atque arridentem sibi, cum illa esset moerens et moerore confecta. Qui cum causas quaesisset tristitiae suae ab ea, et quotidianarum lachrymarum, docendi ut assolet non discendi gratia, illa respondit ei dicens: Perditionem filii mei Augustini plango. Tunc ille jussit ut secura esset, admonuitque ut attenderet, et videret ubi ipsa esset, ibi esse et filium suum. Quod ubi illa attendit, vidit eum juxta se in eadem regula stantem. Quod ubi filio narravit visum, et ille ad id trahere conaretur ut illa potius se non desperaret futuram esse quo ipse erat, continuo illa sine aliqua haesitatione dixit ad eum: Non, inquit, non enim mihi dictum est, Ubi est filius tuus, ibi eris et tu; sed, Ubi tu, ibi et ille.

Item aliae lectiones.

BEATUS Augustinus concitus rediit in eum locum ubi sedebat Alipius, ibi enim posuerat codicem Apostolicum, unde surrexerat. Arripuit, aperuit, et legit in silentio capitulum quo primum conjecti sunt oculi ejus: Non in commessationibus, et ebrietatibus: non in cubilibus, et impudicitiis: non in contentione, et aemulatione: sed induimini Dominum Jesum Christum, et carnis curam ne feceritis in desideriis. Nec ultra voluit legere,

nec opus erat. Statimque cum fine hujusce sententiae quasi luce securitatis infusa cordi ejus, omnes dubitationis tenebrae diffugerunt. Tunc interjecto aut digito aut nescio quo alio signo, codicem clausit, et tranquillo jam vultu indicavit Alipio. At ille quid in se ageretur quod Augustinus ignorabat sic indicavit. Petit videre quid legisset, ostendit Augustinus, et attendit ille etiam ultra quam ipse legerat, et ignorabat quid sequeretur. Sequebatur vero: Infirmum autem in fide recipite. Quod Alipius ad se retulit, et Augustino aperuit.

Lectio secunda.

SED tali admonitione firmatus est, placitoque ac proposito bono et congruentissimo suis moribus sine ulla turbulenta cunctatione conjunctus est. Inde ad matrem Augustini pariter ingrediuntur. Indicant illi, gaudet illa. Narrant quemadmodum gestum sit, exultat et tripudiat et benedicit Dominum, qui potens est ultra quam petimus et intelligimus facere, et convertit Deus luctum ejus in gaudium, multo uberius quam volebat. Et placuit Augustino non tumultuose abripere, sed leviter subtrahere ministerium linguae suae nundinis loquacitatis quibus pueros docebat. Jam paucissimi dies supererant ad vindemiales ferias, et statuit tolerare illos, ut sollemniter absceděret.

Lectio tertia.

CONSILIUM ergo illius erat coram Deo, et convenerat inter eos ne passim cuiquam effunderetur quamquam tu Deus eis a convalle plorationis ascendentibus et cantantibus canticum graduum dederas, sagittas acutas et carbones vastatores adversus linguam subdolam velut consulendo contradicentem, et sicut cibum assolet amando consumentem. Sagittaveras tu cor eorum caritate tua, gestabantque verba tua transfixa visceribus, et exempla servorum tuorum quos de nigris lucidos et de mortuis vivos feceras congesta in sinum cogitationis

eorum urebant et absumebant gravem torporem ne in ima urgerentur, et accendebant eos valde, ut omnis ex lingua subdola contradictionis flatus inflammare eos acrius posset non extinguere. Evolutis autem diebus viginti, nam multi et longi videbantur prae amore libertatis, solutus est Augustinus a sua professione rhetorica, unde jam cogitatu solutus erat.

In commemoratione S. Kyneburgae Virginis.

Lectio prima.

CHRISTI virgines admonuimus atque monemus, ne propter excellentiam muneris amplioris quod divinitus acceperunt, contemnant in sui comparatione patres et matres populi Dei, hominesque illos quos tanquam olivam commendat Apostolus ne superbiat insertus oleaster, et eos qui venturo Christo etiam in filiorum propagatione serviebant ideo meriti inferioris esse arbitrentur, quia jure divino continentia connubio, et nuptiis pia virginitas, anteponitur. In illis quippe parabantur et parturiebantur futura, quae nunc impleri mirabiliter et efficaciter cernimus; quorum etiam vita conjugalis prophetica fuit. Unde non consuetudine humanorum votorum atque gaudiorum, sed valde profundo consilio Dei, in quibusdam eorum foecunditas honorari, in quibusdam etiam foecundari sterilitas meruit. Hoc vero tempore quibus dictum est, si se non continent nubant, non adhibenda est exhortatio sed consolatio. Quibus autem dictum est qui potest capere capiat, exhortandi sunt ne terreantur, et terrendi ne extollantur. Non solum ergo praedicanda est virginitas ut ametur, verumetiam monenda ne infletur.

Lectio secunda.

CUM igitur universa Ecclesia virgo sit desponsata uni viro Christo, sicut dicit Apostolus, quanto digna sunt honore membra ejus, quae hoc custodiunt etiam in ipsa carne, quod tota Ecclesia custodit in fide; quae imitatur

matrem viri sui et domini sui. Nam Ecclesia quoque et virgo et mater est. Cujus enim integritati consulimus, si virgo non est? Cujus prolem alloquimur, si mater non est? Maria corporaliter caput hujus corporis peperit, Ecclesia spiritualiter membra illius capitis parit. In utraque virginitas foecunditatem non impedit, in utraque foecunditas virginitatem non adimit. Proinde cum Ecclesia universa sit sancta et corpore et spiritu, nec tamen universa sit corpore virgo sed spiritu, quanto sanctior est in his membris ubi virgo est et corpore et spiritu. Sed exemplo sanctis futura virginibus, ne putaretur sola virgo esse debuisse quae prolem etiam sine concubitu concipere meruisset, ut in terreno mortalique corpore coelestis vitae mutatio voto fieret non praecepto amore eligendi, non necessitate serviendi, ita Christus nascendo de virgine quae antequam sciret quis de illa fuerat nasciturus virgo statuerat permanere virginitatem sanctam approbare voluit quam imperare. Ac sic etiam in ipsa foemina in qua formam servi accepit, virginitatem esse liberam voluit.

Lectio tertia.

NON est ergo cur Dei virgines contristentur quod ipsae etiam virginitate servata matres carnis esse non possunt, Christum enim solum virginitas decenter parere potuit, qui in sua nativitate parem habere non potuit. Verumtamen ille unius sanctae virginis partus omnium sanctarum virginum est decus. Et ipsae cum Maria matres Christi sunt, si Patris ejus faciunt voluntatem. Mater ergo Christi est tota Ecclesia, quia membra ejus, id est fideles ejus, per Dei gratiam ipsa utrique parit. Item mater ejus est omnis anima pia, faciens voluntatem Patris ejus foecundissima caritate in his quos parturit donec in eis ipse formetur. Ideoque oportebat caput nostrum propter insigne miraculum secundum carnem nasci de virgine, quo significaret membra sua de virgine Ecclesia secundum spiritum nascitura. Sola ergo Maria et spiritu et corpore, et mater et virgo, et mater Christi et virgo Christi.

Item aliae lectiones.

Lectio prima.

ECCLESIA vero in sanctis regnum Dei possessuris spiritu quidem tota mater Christi est tota virgo Christi, corpore autem non tota sed in quibusdam virgo Christi, in quibusdam mater, sed non Christi. Et conjugatae quippe fideles, foeminae et virgines Deo dicatae, sanctis moribus et caritate de corde puro et conscientia bona, et fide non ficta quia voluntatem Patris faciunt Christi, spiritualiter matres sunt. Quae autem conjugali vita corporaliter pariunt, non Christum sed Adam pariunt. Et ideo curant ut sacramentis imbuti, Christi membra fiant partus earum, quoniam quid peperint norunt. Haec dixi, ne forte audeat foecunditas conjugalis cum virginali integritate contendere atque ipsam Mariam praeponere ac virginibus Dei dicere. Illa in corpore duas res habuit honorandas virginitatem et foecunditatem, quia et integra permansit et peperit. Hanc felicitatem quoniam totam utraeque habere non potuimus, partitae sumus ut vos sitis virgines, nos sumus matres. Vobis quod deest in prole consoletur servata virginitas, nobis prolis lucro amissa compensetur integritas.

Lectio secunda.

NULLA ergo carnis foecunditas sanctae virginitati etiam carnis comparari potest. Neque enim et ipsa, quia virginitas est, sed quia Deo dicata est honoratur, quae licet in carne servetur, spiritus tamen religione ac devotione servatur. Ac per hoc spiritualis est etiam virginitas corporis, quam vovet et servat continentia pietatis. Sicut enim nemo impudice utitur corpore nisi prius spiritu concepta nequitia, ita nemo pudicitiam servat in corpore nisi spiritui prius insita castitate. Porro autem

si pudicitia conjugalis quamvis custodiatur in carne animo tamen non carni tribuitur, quo praeside atque rectore nulli praeter proprium conjugium caro ipsa miscetur, quanto magis quantoque honoratius in animi bonis, illa continentia numeranda est quam integritas carnis ipsi creatori animae et carnis vovetur, consecratur, servatur. Nec illarum ergo foecunditas carnis quae hoc tempore nihil aliud in conjugio quam prolem requirunt quam mancipent Christo pro amissa virginitate compensari posse credenda est. Prioribus quippe temporibus, venturo secundum carnem Christo, ipsum genus carnis in ampla quadam et prophetica gente necessarium fuit. Nunc autem, cum ex omni hominum genere atque omnibus gentibus ad populum Dei et civitatem regni coelorum membra Christi colligi possint, sacram virginitatem qui potest capere capiat et ea tantum quae se non continet nubat.

Lectio tertia.

NOS in virginibus non hoc praedicamus quod virgines sunt, sed quod Deo dicatae pia continentia virgines. Nam, quod non temere dixerim, felicior mihi videtur nupta mulier quam virgo nuptura. Habet enim jam illa quod ista adhuc cupit praesertim si nondum vel sponsa cujusquam sit. Ista uni studet placere cui data est, haec multis incerta cui danda est. Hoc uno pudicitiam cogitationis defendit a turba quod non adulterum sed maritum quaerit in turba. Illa igitur virgo conjugatae merito praeponitur quae non multitudini se ad amandam praeponit cum amorem unius ex multitudine inquirit, nec se uni jam componit invento cogitans quae sunt mundi quomodo placeat viro, sed sponsum forma prae filiis hominum sic amavit, ut quia eum sicut Maria concipere carne non posset ei corde concepto etiam carnem integram custodiret. Hoc genus virginum nulla corporalis foecunditas protulit, non est haec proles carnis et sanguinis. Si harum quaeritur mater, Ecclesia est. Non parit virgines sacras nisi virgo sacra, virgo illa quae desponsata est uni viro casta exhibere Christo. Ex illa non tota corpore sed tota virgine

spiritu nascuntur sacrae virgines et corpore et spiritu. Habeant conjugia bonum suum, non quia filios procreant, sed quia honeste, quia licite, quia pudice, quia socialiter, procreant, et procreatos pariter salubriter instanter educant, quia thori fidem invicem servant, quia sacramentum connubii non violant. Haec tamen omnia humani officii sunt munera. Virginalis autem integritas et per piam continentiam ab omni concubitu immunitas, angelica portio est, et in carne corruptibili incorruptionis perpetuae meditatio. Cedat huic omnis foecunditas carnis, omnis pudicitia conjugalis.

In commemoratione S. Kenani.

Lectio prima.

REVERENTISSIMUS praesul Kenanus gente Connactea progenitus, originem de nobilibus utrimque traxit parentibus. Pater etenim ejus vocabulo Sedua, de fortissimi regis nomine Categli de Mommonia videlicet nati, oriundus fuit prosapia, mater vero cui nomen Ethue regis Eugenii gentis scilicet Euganicae, procreatoris ut asserunt fuit neptis. Hic inter quinquaginta similis aetatis obsides Hyberniae rege nomine Legario, et ipse traditus est obses. Dum autem non multo post tempore praefatus rex hos omnes a parentibus fidem quam ipsi dederant non servantibus omnino debitos apud regalem oppidum, scilicet Themoriam, vellet interficere. Sanctissimus homo Kyrbanus, qui juxta illud habitabat, Kenanum sibi dari ab eodem rege petivit, quod tamen non impetravit. Per pietatem itaque regis regum ac domini dominantium a suo non est fraudatus desiderio.

Lectio secunda.

DUM enim idem puerulus cum aliis a militibus crudelibus in aera sursum projiceretur, ut hastarum punctis miserabiliter exciperetur, ab angelo hic solus sublevatus est, et in sinum praedicti senis in hostio suae

cellulae pro ipso tunc orante, immunis ab omni laesione depositus, ac sic a morte minatura liberatus. Deinde a beato patre duabus monialibus ad nutriendum est commendatus, quod illae honeste satis egerunt. Hae autem aliquando calida eum balneare volentes aqua, et facultatem tunc non habentes, aliis ejusdem praemonitae sanctitatis indiciis, juncum in praesenti caespite radicatum in illius manu prius collectum cum suarum coadjutorio manuum attraxerunt, ac statim calida de loco ejusdem caespitis erupit unda, quae manum alterius earum in eam sine cautione protinus tinctam combussit. Quo viso beatae mulieres manum sancti pueri in eandem immiserunt, et ejus extemplo calor est temperatus, ac manus quae ante combusta est in eam tunc intincta pristinam recepit sanitatem.

Lectio tertia.

CONGRUO tempore post haec succedente, dilectus alumnus a sanctis foeminis cuidam religioso viro nomine Nathano ad erudiendum in literali scientia est commendatus, apud quem in omni obedientia ac docibilitate necnon et miraculorum ab ipso factorum coruscatione in tribus probabiliter sequentibus aliquot annis mansit. Quodam die solus in agro legens non clauso libro parumper pausavit. Interea coelum super omnia loca ei circumquaque adjacentia pluit, super ipsum vero ejusque librum guttula non cecidit una. Cura itidem pastorali unius quam praefatus Nathanus habebat vaccae, ejusque vituli ab eodem, ipsi commissa, cuspide baculi sui inter eos terminum fecit in pascuis trans quem non vacca vitulum nec vitulus vaccam adire audebat, illis quoque multotiens illic convenientibus nec vitulus ore licet uberi matris incumbente lac suggere valebat. Ipsum quoque aliquando Nathanus solum juxta cellam foris dormientem ab angelis frequentari prospexit.

Item Lectio quarta.

ALIQUANTO vero tempore ibi transacto cum sui consilio magistri Hyberniam deseruit atque Martynum Thuronicum episcopum adivit, sub quo sanctae religionis regulas, et institutiones ecclesiasticas, necnon divinam paginam didicit. Quo peracto, Jerosolimam iter dirigere coepit, et cum ad Alpes perveniret quadraginta diebus ac quadraginta noctibus ad similitudinem Moysi et Helyae atque Christi jejunavit. In fine vero jejunii angelus Domini apparuit ei dicens, Kenane, omnes petitiones tuae hic a Deo sunt tibi donatae, reverte ergo ad Hiberniam, ibique Deo tuo deservi; quod et ille fecit. Postquam autem illuc devenerit celebre monasterium angelo ei locum designante fundavit, quod ab ecclesia quam ibi construxerat lapidea prout notum est nomen accepit, ecclesiarum etenim antea de virgis et tabulis structurae fiebant in Hybernia. In quo scilicet aedificio non solum hominum ad deportandam materiam sed angelorum etiam usus est ministerio. In habenda vero ad opus faciendum serenitate aeris sanctorum orationum virorum adjutus est suffragiis. Deinde sanctos circumquaque visitavit viros et perpetuas cum illis confraternitates in Domino compegit ac spiritualia inivit consortia.

Lectio secunda.

CUM autem ad Sanctum pervenisset Carnethum ubi in magna receptus fuit laetitia, paratum est ei balneum quod intrare nisi cum Carnetho renuit. Quo simul inito, ille duabus manibus Kenanum est amplexatus, et ait, Corpus quod amplector nunquam putrescet in sepulchro, sed usque in extremum gloriosae resurrectionis diem incolume durabit, quod esse verum non semel est probatum. Septem vero laminae ferreae quae ipsius Carneti austerae vitae viri corpus circumdabant velut cera a facie ignis inter manus beati viri similiter illum amplectentis liquefactae sunt Kenani. His itaque peractis, dextras insolubiles sibi invicem dederunt societatis.

Lectio tertia.

POST haec praedicator egregius in occidentalem Hiberniae partem quae Connactea dicitur ad verbum divinum inibi disseminandum proficiscitur, ubi et alia miracula per illum sunt patrata. In regione quidem Lugenorum, in loco qui cella Kannam vocatur, super quendam lapidem sedit discipulisque suis per sanctum prophetiae spiritum praedixit, Fratres virgas incidite et ecclesiam ad opus beati qui adhuc non natus est filii hic construite; quod et illi fecerunt. Postmodum ergo sanctus ille promissionis natus est filius qui congruo tempore secundum illius verbum ibidem fundavit monasterium.

Historia translationis secunda Beati Augustini.
Ad vesperas.

A. Gratuletur omnis mundus,
Quod clara lux de tenebris,
Ab immundo transit mundus,
De profano celebris.

Ps. minor. Laudate Dominum, omnes gentes.

A. Augustinum dum patre gentili Patricio,
Deus vocat et a matre audita est oratio.
A. Solicitans Ambrosium mater Augustini,
Doctor doctorem optimum verbi flat divini.
A. Statim caepit fructum ferre scripturae clausa reserans,
Et in fines orbis terrae fidem Christi praedicans.
A. Annis puerilibus decursus in errore,
Mox crevit in virtutibus et Domini decore.

Capitulum.

DOCTRINAM sapientiae et disciplinae scripsit in codicibus multis. Qui renovabit sapientiam in corde suo sapiens est semper et ad omnia valebit, quia lux Dei vestigium ejus est.

[ ]

Multiplici miraculo Deus gloriosum,
Augustinum populo facit famosum,
Dum fertur de Sardinia locandus in Papia.
O pater nostra gloria custodi nos in via.

Oratio.

Deus qui Beatum Augustinum ab errore ad veritatem de terris ad caelestem gloriam transtulisti, tribue nobis quaesumus ejus intercessione vivere ut ad te valeamus pervenire. Per.

Invitatorium.

Verum lumen adoremus,
Christum regum Dominum,
Qui Augustinum jam transtulit,
Lumen ecclesiarum omnium.

P. Venite.

Hymnus.

LAETETUR Syon filia, ex alto fulta numine,
Chorus pangat sollemnia jam lucis orto sidere.
Sidus ex solis spiculo Augustinus scintillat,
Obscurus in propaculo aurora lucis rutilat.
En rutilat prodigiis hujusmodi in terris radius,
Edisserens ecclesiis ales diei nuncius.
Praenuncius scientiae sacer secreta luminat,
Imbre refuso gratiae vox clara ecce intonat.
Altitonat sententiis Manichaeorum pendula,
Tradens redit a dubiis nox tenebrae et nubila.
Hunc nubilam revehit examine justitiae,
Intronisatum provehit summae Deus clementiae.
Clemens pater nos pauperes a fauce hostis invidi,
Sic praetuens, fac praepares ad coenam agni provide.
Proinde Pater Genite Paracliteque gloria.
Sint Augustini merito beata nobis gaudia.

In primo nocturno. Ant.

Augustinus consilium sprevit impiorum,
Dum Manichaeos destruit et vias peccatorum.
A. Fortunato praedicat domini praecepta,
Quem ratione superat divinitus accepta.
A. Contrivit lima fidei dentes peccatorum
Adversantes et enervat eos vi verborum.

Lectio prima.

TRANSACTIS ab obitu Sanctissimi patris nostri Augustini ducentis annis et octoginta anno Domini septuagentesimo octavo decimo tempore Leonis Imperatoris in anno quarto, Lyndebrandus devotus Longobardorum rex audiens Sardiniam a Saracenis depopulatam, sollemnes illuc nuncios misit ut Sancti doctoris Augustini reliquias Papiam suam civitatem deferrent, qui magno pretio dato corpus tulerunt usque Jannensem civitatem audiens autem praedictus rex ad illam civitatem cum omni gaudio transiens praedicto corpori obviando reverenter ut decuit illud excepit. Cum autem mane vellent corpus ejus deducere, nullo modo de loco movere potuerunt donec rex votum emitteret quod si se portari inde permitteret ecclesiam ibidem in suo nomine consecraret. Sic autem voto regis devote satis emisso sine omni difficultate statim laetantibus cunctis et prae gaudio mirantibus sacrum corpus humeris delatum est, et rex quod voverat devote adimplevit.

R. Studens liberalibus aetate juvenili,
Augustinus artibus mente quas subtili,
Capit et sicut proficit ut stupeat natura,
Nam totum per se didicit quod vidit in scriptura.
V. Quis compar isti fuerit nunquam invenisti. Nam.

Lectio secunda.

ALIUD miraculum die sequenti in episcopatu Sardinensi in villa quadam Cassella nomine contigit et eodem modo in honore Sancti Augustini rex praedictus ibidem ecclesiam construxit. Insuper et villam ipsam cum omnibus suis appendiciis concessit servientibus ecclesiae dicti Sancti perpetuo possidendam. Quia vero rex viderat Sancto complacere Augustino ut in suo nomine fieret ecclesia quocumque mansisset, timens ne in aliquo alio loco quem ipse desideraverat vellet residere continuo quando de nocte cum corpore hospitabatur in honorem ipsius ecclesiam fieri constituit, sicque cum magno gaudio Papia deducitur, et in ecclesia Sancti Petri quae coelum aureum dicitur honorifice collocatur.

R. Augustinus presbyter Ypponensis factus,
Regni coelestis arbiter igne divino tactus,
Scribit in ecclesia libros triginta mille,
Innumera volumina sed et componit ille.
V. Per quae famosus mundo fit et gloriosus. Innumera.

Lectio tertia.

CUM autem audisset populus adventum tanti patris exierunt tam mares et foeminae et venerunt ad flumen quod appellatur Ticinum, et tulerunt corpus gloriosum, et adduxerunt in basilicam Sancti Petri Apostoli quae coelum aureum nominatur, et cum debito honore condiderunt. Cum autem longo tempore soli canonici regulares divina celebrantes existerent, suggestione quoque venerabilis patris fratris Willelmi ordinis fratrum heremitarum Sancti Augustini quondam prioris generalis ejusdem ordinis ac sacrae paginae professoris postmodum episcopi et comitis de Cremona cui videbatur ecclesiae eisdem fratribus eundem Sanctum Augustinum immediatius pertinere quos de locis heremiticis longe dispersos in unum primitus congregavit,

quorum et habitum Sancti Simpliciani monitis ejusdem ordinis heremitae et post episcopi Mediolanum sumpserat et eis primum regulam et normam vivendi tradiderat concessione quoque Sanctissimi patris Papae Johannis vicesimi secundi sacro approbante consilio. Fratres illi sollemniter in eundem locum ingressi sunt perpetuo moraturi nec deerant ibi principes et barones ipsos fratres honorifice et potenti manu in locum illum introducentes quorum praecipuus et principalis et excellentissime magnificens erat dominus Imperator Karolus quartus qui juxta bullam et concessionem Papae Johannis praedicti ejusdem fratribus alteram partem ecclesiae commisit possidendam ut ibidem servitium Romanae Curiae una cum canonicis a suo antiquo servitio absoluti dicerent more solito laudes Deo debitas et Beato Augustino persolverent caeteris observantiis juxta praedictae bullae tenorem reservatis, cujus unionis causam ne praetergrediamur subdit dominus summus pontifex in fine cujusdam bullae fratribus concessit dicens: Dignum est ut caput suis membris, magister suis discipulis, pater suis filiis, doctor suis scolaribus, praelatus suis subditis, debeat adjuvari, ut quibus extitit doctor in via sit orator in patria et quibus extitit causa honoris sint sibi vice rependita causa laudis et illi speciales sibi solvant gratiarum debitas actiones cujus nomen portantes et habitum singulare de eo sperent refugium obtinere. Ubi perpetua sede collocati monasterium ex altera parte ecclesiae cum ingressu libero ipsis fratribus et canonicis ibidem pro altera parte commorantibus constructum est.

R. O lumen Ecclesiae, Beate Augustine,
Nobilis prosapia legis flos divinae;
Tu pie sine mora nobis Deum ora.
V. Augustine bone pater et venerande patrone. Tu pie.

In secundo Nocturno.

A. Mirificari voluit Deus hunc Beatum,
Ad mortem quando voluit curans baptizatum.

A. Mendaces iste destruit verbo veritatis,
Et fidem illos instruit Sanctae Trinitatis.
A. O quam mirabilis hic sanctus et laudabilis,
Translatus cum angelis fulget ineffabilis.

Lectio quarta.

SED ne de miraculis hujus Sancti Augustini Papiae ostensis sileamus, quaedam in ejus honorem ad memoriam revocemus. Cum quidam homo Papiensis carceris custodia detineretur, ab eo penitus omnis potestas est interdicta ut nec quidem magna pecunia posset extorqueri, sed quasi in spiritus exhalatione prae nimia siti positus urinam suam bibere compellebatur, qui mox ad preces conversus Beatum Augustinum quatinus sui misertur et adjuvaret coepit flectibilibus vocibus invocare. Et ecce circa mediam noctis apparens Beatus Augustinus dextram manum ejus apprehendens usque ad flumen quod Gravola dicitur de carcere procul ambulando perduxit. Quo cum pervenissent folio vitis in aqua madefacto tam diu linguam ejus et os Beatus Augustinus irroravit quousque siti tota recedente quasi repletus ut nec etiam de potu nectaris curaret et sic Deo liberatus et Beato Augustino in ecclesia gratias condignas suae visitationis retulit.

R. Vitam apostolicam hic doctor renovavit,
Describendo regulam in qua declaravit. Vitam.
V. Sub imperio caste sine proprio ut docet iste pater sic debes vivere frater. Sub.

Lectio quinta.

QUIDAM autem infirmante graviter numero plusquam quadraginta de Germania et Allia venientes quorum quidam scamnis in terra curru se vehentes alii cum baculis se sustentantes reliqui privati oculis unus post alium se trahentes caeteri contractas manus et pedes habentes Romam ad Apostolorum limina visitanda trans-

ibant, qui cum montes transissent et ad locum qui Carbonaria dicitur venientes pene ad locum qui Cana dicitur tribus miliaribus ab Apia distantem advenissent subito pontificalibus indutus episcopus eisdem apparens eosque salutans quo tenderent requisivit. Qui cum ipsi se velle Romam respondissent pro sanitate obtinenda: Ite, inquit Augustinus, Papiam, et ad coenobium Sancti Petri quod coelum aureum dicitur interrogate ibique misericordiam habebitis quam optatis. Qui cum eum de nomine suo interrogassent, Augustinus inquit; Ego sum quondam Hipponensis episcopus nuper in praedictam ecclesiam translatus. Et his dictis statim ab oculis eorum evanuit. Illi autem Papiam pergentes cum ad dictum monasterium pervenissent et ibi corpus Sancti Augustini quiescere didicissent, coeperunt omnes voces lamentabiles levare ac unanimiter conclamare dicentes, Sancte Augustine adjuva nos. Quorum clamoribus cives et canonici excitati ad tam grande spectaculum confluebant. Et ecce, dum precibus insisterent, subito de nervorum distentione sanguis coepit effluere, ut ab introitu coenobii usque ad tumulum Sancti Augustini vestigiis eorum et gressibus apparentibus tota terra sanguine videretur aspersa. Cum autem ad tumbam Augustini pervenissent omnes integrae sanitati restituti sunt ac si nulla in eorum corporibus laesio extitisset. Coepit autem extunc fama Beati patris nostri Augustini crebescere; multitudo languentium ad ejus tumulum venit qui omnes sanitatis beneficia reportantes suae salutis pignora ibidem relinquebant. Factum est postea ut tanta praedictorum pignorum fieret multitudo ut inde totum oratorium Sancti Augustini et porticus plena essent, ut eundi et redeundi impetum non modicum generarent ubi quatinus succedenti tempore ablata sunt.

R. Multum renitens suscipit curam pastoralem,
In qua tantum profuit ut mireris talem,
Virtuti virtus subvenit, consurgit ad labores,
Docet scribit libros edit sic honor mutat mores.
V. Hic flos doctorum fidei tuta regula morum. Docet.

Lectio sexta.

QUIDAM Sanctum Augustinum summe diligens custodi canonico corporis ejusdem in Papia pecuniam magnam promisit, ut unum digitum Sancti Augustini sibi daret. Ille autem recepta pecunia digitum cujusdam mortui sericis involutum vestibus sibi tribuit simulans esse digitum Sancti Augustini. Quem alius reverenter excipiens, semper devotissime adorabat, et ori ac oculis apponens crebro pectori astringebat quod non deficiente sibi fide digitum ipsum sanctians tam mirabiliter quam misericorditer haberet quamvis non credebatur, qui cum repatriasset et multa miracula per ipsas digiti sui patris Augustini reliquias fierent, fama talis usque Papiam delata est, ut nimium abbas et civium importuna de tantis reliquiis distractis querulosa requisitione compelleretur Sancti tumulum aperire pro cognoscenda veritate. Cum autem canonicus percunctatus constanter asseruisset digitum alterius mortui contulisse, sicut verum erat, et tamen digitum unum deesse Sanctissimi corporis vidissent, remoto canonico de officio, et juxta sua demerita condigne punito, Deo et Sancto Augustino in admiratione magna de fide sui diligentis non vacua praecelsas laudis suae gratias retulerunt.

R. Martyr desiderio nam pati petivisti,
Multa neque gladio cujusquam tu cecisti,
Te vocare cupiens devotus ira saevit,
Sed De[us] Omnipotens melius decrevit.
V. Ut nos fulcires saeva nec morte perires. Sed Deus.

In tertio Nocturno.

A. In tuo tabernaculo hic Sanctus inhabitabit,
Hic dum sine macula signis coruscabit.
A. Post coronam praesulis hujus temporalem,
Pro suis Christus meritis dat huic aeternalem.

A. Innocens hic manibus habens cor accensum,
Praedicat hominibus coelis dans ascensum.
R. Consors Apostolorum, corona confessorum,
Gemma martyrum, ornatus et virginum,
Scientia tu cherubyn, vox coeli, lingua Christi
Hodie ad seraphim transferri meruisti.
V. Augustine pie, Paulo compar et Heliae. Hodie.
R. Aquilina facie vidit Augustinus,
Subtilis mentis acie quod Deus, unus trinus,
Sit unus in essentia, trinus in personis,
Cuncta creans entia summae perfectionis.
V. Ne cessent esse sic singula inesse. Cuncta.
R. Augustinum induit Dominus decore,
Sedem ejus collocans in gloria et honore.
V. Laetus atque jubilans hic Sanctus introivit
Domum quam desiderans in terra concupivit.
R. Praegustavit, Domine, de cibo quem sitivit,
Nunc pleno fruens lumine vidit quod quaesivit.
V. Fratres, benedicite Beatum Augustinum,
Qui vos a mundi turbine tulit et camino.
A. In excelso solio dominum de coelis
Laudemus pro suffragio patroni fidelis.

Ad Vesperas.

A. Dum per viam geritur corpus gloriosum,
Et per noctis sistitur tempus tenebrosum,
Se transferre voluit sicut fit onerosum,
Quod nulla vi tunc poterat inde removeri,
Quousque rex oraculo faceret voveri,
Sibi quod ecclesiam fundaret laude cleri.

A. Plures sibi vendicat ad servitium dono regis, dum dicitur honore continuo; translatus reponitur in coelum aureum quo viget religio; nostrum convicium pater auge tu pie succurre fratribus hic et ubique fideliter tibi servientibus.

A. Hodie translatio patris celebratur,
Augustini Bravio qui magnus vocatur,

De terrae mausoleo thesaurus levatur,
Et in vase aureo condigne locatur,
Spiritus ad praemia coeli deportatur,
In supremaque gloria solus laureatur.

In sollemnitate Corporis Christi, ad Vesperas. A

SACERDOS in aeternum Christus Dominus secundum ordinem Melchisedech, panem et vinum obtulit.

P. Dixit Dominus.

A. Miserator Dominus escam dedit timentibus se in memoriam suorum mirabilium.

P. Confitebor.

A. Calicem salutaris accipiam, et sacrificabo hostiam laudis.

P. Credidi, propter.

A. Sicut novellae olivarum, Ecclesiae filii sint in circuitu mensae Domini.

P. Beati omnes.

A. Qui pacem ponit fines Ecclesiae, frumenti adipe satiat nos Dominus.

P. Lauda Jerusalem.

Capitulum.

DOMINUS Jesus in qua nocte tradebatur, accepit panem, et gratias agens fregit et dixit: Accipite, et manducate; Hoc est Corpus Meum, quod pro vobis tradetur.

R. Homo quidam fecit coenam magnam, et vocavit multos; et misit servum suum hora coenae dicere invitatis ut venirent, quia jam parata sunt omnia.

V. Venite comedite panem meum et bibite vinum quod miscui vobis—Quia.

Hymnus.

PANGE lingua gloriosi
Corporis mysterium,
Sanguinisque pretiosi,
Quem in mundi pretium
Fructus ventris generosi
Rex effudit gentium.

Nobis datus, nobis natus
Ex intacta Virgine,
Et in mundo conversatus
Sparso verbi semine,
Sui moras incolatus
Miro clausit ordine.

In supremae nocte coenae
Recumbens cum fratribus,
Observata lege plene
Cibis in legalibus,
Cibum turbae duodenae
Se dat suis manibus.

Verbum caro, panem verum
Verbo carnem efficit:
Fitque sanguis Christi merum
Et si sensus deficit:
Ad firmandum cor sincerum
Sola fides sufficit.

Tantum ergo Sacramentum
Veneremur cernui:
Et antiquum documentum
Novo cedat ritui:
Praestet fides supplementum
Sensuum defectui.

Genitori, Genitoque
Laus et jubilatio,
Salus, honor, virtus quoque
Sit et benedictio,
Procedenti ab utroque
Compar sit laudatio. Amen.

V. Panem de coelo praestitisti eis.
R. Omne delectamentum in se habentem.
A. O quam suavis est, Domine, Spiritus tuus, qui ut dulcedinem tuam in filios demonstrares, pane suavissimo de coelo praestito, esurientes reples bonis, fastidiosos divites dimittens inanes.
P. Magnus.

Oratio.

DEUS, qui nobis sub sacramento mirabili passionis tuae memoriam reliquisti: tribue, quaesumus, ita nos corporis et sanguinis tui sacra mysteria venerari ut redemptionis tuae fructum in nobis jugiter sentiamus. Qui vivis et regnas.

Christum regem adoremus dominantem gentibus qui se manducantibus dat spiritus pinguedinem.

Hymnus.

SACRIS solemniis juncta sint gaudia,
Et ex praecordiis sonent praeconia:
Recedant vetera: nova sint omnia,
Corda, voces, et opera.
Noctis recolitur coena novissima,
Qua Christus creditur agnum et azyma
Dedisse fratribus, juxta legitima
Priscis indulta patribus.
Post agnum typicum, expletis epulis,
Corpus Dominicum datum discipulis,

Sic totum omnibus, quod totum singulis,
  Ejus fatemur manibus.
Dedit fragilibus Corporis ferculum,
Dedit et tristibus Sanguinis poculum,
Dicens: Accipite quod trado vasculum,
  Omnes ex eo bibite.
Sic sacrificium istud instituit,
Cujus officium committi voluit
Solis Presbyteris, quibus sic congruit,
  Ut sumant, et dent caeteris.
Panis Angelicus fit panis hominum,
Dat panis Coelicus figuris terminum:
O res mirabilis! manducat Dominum
  Pauper, servus, et humilis.
Te, Trina Deitas, unaque, poscimus,
Sic nos tu visita, sicut te colimus,
Per tuas semitas duc nos quo tendimus,
  Ad lucem, quam inhabitas. Amen.

In primo Nocturno.

A. Fructum salutiferum gustandum dedit dominus mortis suae tempore

P. Beatus vir.

A. A fructu frumenti et vini multiplicati fideles in pace Christi requiescunt.

P. Cum invocarem.

A. Communione calicis quo Deus ipse sumitur non vitulorum sanguine congregavit nos Dominus.

P. Conserva.

V. Panem angelorum manducavit homo.

R. Panem coeli dedit eis. Alleluia.

Lectio Prima.

IMMENSA divinae largitatis beneficia exhibita populo Christiano inaestimabilem ei conferunt dignitatem. Neque enim est aut fuit aliquando tam grandis natio, quae haberet Deos appropinquantes sibi sicut adest Deus noster. Unigenitus siquidem filius Dei suae divinitatis volens nos esse participes nostram naturam assumpsit, ut homines Deos faceret homo factus. Et hoc insuper quod de nostro assumpsit totum nobis contulit ad salutem.

R. Immolabat hoedum multitudo filiorum Israelis ad vesperam Paschae. Et edebant carnes et azimos panes.
V. Pascha nostrum immolatus est Christus, itaque epulemur in azimis sinceritatis et veritatis. Et.

Lectio Secunda.

CORPUS namque suum pro nostra reconciliatione in ara crucis optulit hostiam Deo patri. Sanguinem suum fudit in pretium simul et lavacrum, ut redempti a miserabili servitute, a peccatis omnibus mundaremur. Et ut tanti beneficii jugis in nobis maneret memoria, corpus suum in cibum et sanguinem suum in potum sub specie panis et vini sumendum fidelibus pro salute omnium dereliquit.

R. Comeditis carnes et saturabimini panibus. Iste est panis quem dedit nobis Dominus ad vescendum.
V. Non Moyses dedit vobis panem de coelo, sed pater meus dat vobis panem de coelo verum. Iste.

Lectio Tertia.

O PRETIOSUM et admirandum convivium salutiferum, et omni suavitate repletum! Quid enim hac communione et hoc sacramento mirabilius? In ipso namque panis et vinum in corpus et sanguinem Christi substantialiter convertuntur. Ideoque Christus Deus et homo perfectus sub modica panis specie continetur. Manducatur itaque a fidelibus, sed minime laceratur. Quinimo diviso sacramento, integer sub qualibet divisionisparticula perseverat. Accidentia enim sine subjecto in eodem existunt ut fides locum habeat dum visibile invisibiliter sumitur aliena specie occultatum et sensus a deceptione immunes reddantur, qui de accidentibus indicant sibi notis.

R. Respexit Helias ad caput suum subcinericium panem qui surgens comedit et bibit, et ambulabit in fortitudine cibi illius, usque ad montem Dei.

V. Si quis manducaverit ex hoc pane vivet in aeternum. Et. Gloria Patri et Filio et Spiritui Sancto. Ad.

In secundo Nocturno.

A. Memor sit Dominus sacrificii nostri, et holocaustum nostrum pingue fiat.

P. Exaudiat.

A. Paratur nobis mensa Domini adversus omnes qui tribulant nos.

P. Dominus regit.

A. In voce exultationis resonent epulantes in mensa Domini.

P. Quemadmodum.

A. Cibabit illos ex adipe frumenti.

R. Et de petra melle saturabit eos.

Lectio quarta.

NULLUM etiam sacramentum est isto salubrius quo purgantur peccata, virtutes augentur, et mens omnium spiritualium charismatum abundantius impinguatur. Offertur in ecclesia pro vivis et mortuis, ut omnibus prosit, quia pro salute est omnium institutum. Denique hujus sacramenti suavitatem nullus exprimere sufficit, per quod spiritualis dulcedo in suo fonte gustatur, et recolitur memoria illius quam in sua passione Christus monstravit virtute excellentissimae caritatis.

R. Panis quem ego dabo caro mea est pro mundi vita. Litigabant ergo Judaei dicentes, Quomodo potest hic nobis dare carnem suam ad manducandum?

V. Locutus est populus contra Dominum, Anima nostra nauseat super cibo isto levissimo. Quomodo.

Lectio quinta.

UT autem artius hujus caritatis immensitas cordibus infigeretur fidelium, in ultima coena quando Paschate cum discipulis celebrato transiturus erat ex hoc mundo ad patrem, hoc sacramentum instituit tanquam passionis suae memoriale perenne figurarum veterum impletivum miraculorum ab ipso factorum maxime et de sua contristatis absentia solatium singulare. Convenit itaque devotioni fidelium sollemniter recolere institutionem tam salutiferi quam mirabilis sacramenti ut ineffabilem modum divinae praesentiae in sacramento visibili veneremur, et laudetur Dei potentia, quae in sacramento eodem tot mirabilia operatur, nec non et de tam salubri tamque suavi beneficio exsolvantur Deo gratiarum debitae actiones.

R. Coenantibus illis, accepit Jesus panem, et benedixit ac fregit, deditque discipulis suis, et ait; Accipite et comedite: Hoc est Corpus Meum.

V. Dixerunt viri tabernaculi mei, Quis det de carnibus ejus ut saturemur? Accipite.

Lectio sexta.

UNDE et integro celebritatis officio institutionem tanti sacramenti plebs sollemniter recoleret Romanus Pontifex Urbanus Papa quartus, hujus sacramenti devotione affectus, pie statuit praefatae institutionis memoriam prima quinta feria post octabas Pentecostes a cunctis fidelibus celebrari, ut qui per toti anni circulum hoc sacramento utimur ad salutem et ejus institutionem illo specialiter tempore recolamus, quo Spiritus Sanctus discipulorum corda edocuit ad plene cognoscenda hujus misteria sacramenti. Nam in eodem tempore coepit hoc sacramentum a fidelibus frequentari. Ut autem praedicta quinta feria et per octabas sequentes ejusdem, salutaris institutionis honorificentius agatur memoria, et sollemnitas de hoc celebrior habeatur loco distributionum materialium quae in ecclesiis cathedralibus largiuntur existentibus canonicis horis nocturnis pariterque diurnis praefatus Romanus Pontifex eis qui hujusmodi horis in hac sollemnitate personaliter in ecclesiis interessent, stipendia spiritualia apostolica largitione concessit, quatinus per hoc fideles ad tanti festi celebritatem avidius et copiosius convenirent. Unde omnibus vere poenitentibus et confessis qui matutinali officio hujus festi matutinaliter in ecclesia ubi celebratur adessent, centum dies. Qui vero missae, totidem; in primis vesperis similiter centum; in secundis vero totidem. Eis vero qui primae, tertiae, sextae, et nonae, ac completorii adessent officiis, pro qualibet horarum ipsarum quadraginta dies. Illis vero qui per ipsius festi octabas in matutinalibus vespertinis missae praedictarum horarum officiis praesentes existerent singulis diebus octabarum ipsarum centum dierum indulgentiam misericorditer tribuit perpetuis temporibus duraturam.

R. Accepit Jesus calicem postquam coenavit, dicens, Hic calix novum testamentum est in meo sanguine, hoc facite in meam commemorationem.

V. Memoria memor ero et tabescet in me anima mea. Hoc. Gloria.

In tertio Nocturno.

A. Introibo ad altare Dei, sumam Christum qui renovat juventutem meam.

P. Judica me.

A. Cibavit nos Dominus ex adipe frumenti, et de petra melle saturavit nos.

P. Exultate Deo.

A. Ex altari tuo Domine Christum sumimus, in quem cor et caro mea exultabunt.

P. Quam dilecta.

V. Educans panem de terra.

R. Et vinum laetificet cor hominis.

Secundum Johannem.

IN illo. Dixit Jesus discipulis suis et turbis Judaeorum, Caro mea, vere est cibus: et Sanguis meus, vere est potus. Et r. Cum enim cibo et potu id appetant homines ut non esuriant neque sitiant, hoc vere non praestat nisi iste cibus et potus qui eos quibus sumitur immortales et incorruptibiles facit, id est societas ipsa sanctorum ubi pax erit et unitas plena atque perfecta. Propterea quippe sicut et ante nos hoc intellexerunt homines Dei, Dominus noster Jesus Christus Corpus et Sanguinem suum in eis rebus commendavit quae ad unum aliquid rediguntur. Ex multis namque granis unus panis conficitur, et ex multis racemis vinum confluxit.

R. Qui manducat Carnem Meam, et bibit Meum Sanguinem, in me manet, et ego in illo.

V. Non est alia natio tam grandis quae habeat Deos appropinquantes sibi sicut Deus noster adest nobis. In.

Lectio octava.

DENIQUE jam exponit quomodo id fiat quod loquitur, et quid sit manducare Corpus ejus et Sanguinem bibere. Nam qui manducat meam Carnem, et bibit meum Sanguinem, in me manet, et ego in

eo. Hoc est ergo manducare escam illam et illum bibere potum, in Christo manere et illum manentem in se habere. Ac per hoc qui non manet in Christo, et in quo non manet Christus, proculdubio non manducat spiritualiter ejus carnem, licet et carnaliter et visibiliter premat dentibus sacramenta corporis et sanguinis Christi, sed magis tantae rei sacramentum ad judicium sibi manducat et bibit qui immundus praesumit ad Christi accedere sacramenta, quae alius non digne sumit nisi qui mundus est; de quibus dicitur, Beati mundo corde, qui ipsum Deum videbunt.

R. Misit me pater vivens, et ego vivo propter patrem, et qui manducat me, vivet propter me.

V. Cibavit illum dominus pane vitae et intellectus. Et.

Lectio nona.

SICUT misit me, inquit, vivens pater, et ego vivo propter patrem: et qui manducat me, et ipse vivet propter me. Non ait sicut manduco patrem et ego vivo propter patrem, sed qui manducat me, et ipse vivet propter me. Non enim filius participatione patris fit melior qui natus est aequalis, sicut per participationem filii per unitatem corporis et sanguinis quam illa manducatio potatioque significat efficit nos meliores. Vivimus ergo nos propter ipsum manducantes eum, id est propter ipsum accipientes vitam aeternam quam non habemus ex nobis. Vivit autem ipse propter patrem missus ab eo quia semetipsum exinanivit factus obediens usque ad signum crucis. Sicut misit me vivens pater, et ego vivo propter patrem, et qui manducat me, et ipse vivet propter me. Ac si aperte diceret, et ego vivo propter patrem, id est, ut ad illum tanquam ad majorem recurram, et ad majorem referam vitam meam exinanitio mea fecit in quam me misit. Ut autem quisque vivat propter me, participationem facit qui manducat me. Ego utique humiliatus vivo propter patrem, et ille vivit propter me. Non de ea natura dixit qua semper est aequalis patri, sed de ea in qua minor factus est patre de qua etiam superius dixit, Sicut pater habet vitam in semetipso: sic dedit et filio vitam

habere in semetipso, id est genuit filium vitam habentem in semetipso.

R. Unus panis et unum corpus multi sumus omnes qui de uno pane et de uno calice participamus. Parasti in dulcedine tua pauperi Deus qui habitare facis unanimes in domo. Et de. Gloria.

V. Panem de caelo praestitisti eis.

R. Omne delicium.

In Laudibus.

A. Sapientia aedificabit sibi domum, miscuit vinum et posuit mensam. Alleluia.

P. Dominus regnabit.

A. Angelorum esca nutrivisti populum tuum et panem de coelo praestitisti illis. Alleluia.

P. Jubilate.

A. Pinguis est panis Christi et praebebit delicias regibus. Alleluia.

P. Deus, deus meus.

A. Sacerdotes sancti incensum et panes offerunt Deo. Alleluia. Alleluia.

P. Bened'.

A. Vincenti dabo manna absconditum, et nomen novum. Alleluia.

P. Laudate.

Capitulum.

Dominus Jesus in qua nocte.

Hymnus.

Verbum supernum prodiens
  Nec patris linquens dexteram,
Ad opus suum exiens
  Venit ad vitae vesperam,
In mortem a discipulo
  Suis tradendus aemulis,
Prius in vitae ferculo
  Se tradidit discipulis.

Quibus sub bina specie
  Carnem dedit et Sanguinem,
Ut duplicis substantiae
  Totum cibaret hominem.
Se nascens dedit socium
  Convescens in edulium,
Se moriens in pretium,
  Se regnans dat in premium.
O Salutaris Hostia
  Quae Coeli pandis ostium,
Bella premunt hostilia,
  Da robur, fer auxilium.

IN festo Sanctae Kyneburgae Virginis ad primas Vesperas super P.

A. Kyneburga generosa,
  Multis effloruit virtutibus.
Cujus vita virtuosa,
  Normam exhibuit claustralibus.
P. Laudate pueri.
A. Continens et obediens,
  Respuit terrena,
Religio perficiens,
  Haec est laude plena.
P. Laudate Dominum, quoniam.
A. Virgo nobis praebuit
  Exemplum castitatis,
Tales fore docuit,
  Consimiles beatis.
P. Lauda anima mea.
A. Volens virgo se servire,
  Nos instruxit obedire,
Regiae styrpis nobilis,
Ancilla fuit humilis.
P. Laudate Dominum, quoniam bonus est psalmus.

A. Ut ad cultum Domini,
   Foret virgo libera,
   Pura sponte animi,
   Mundi sprevit onera.
P. Lauda Jerusalem Dominum.

Capitulum.

Qui gloriatur.
R. Relinquens Kyneburga,
   Cum curis nuptias,
   Se fecit servam,
   Vitans delicias.
   Contemplativam vitam egit,
   Mente et casto corpore,
   Sed activam non reliquit,
   Serviens pro tempore.
V. Utramque partem tenuit,
   Querelam Martha non habuit.
   Contemplativam.
V. Gloria. Contemplativam.

Hymnus.

Exultet coelum laudibus,
   Applaudat terra vocibus,
Dum, sicut in coelestibus,
   Vita fit in virginibus.
In coelis ita vivere,
   Constat, non student nubere,
Sed vultum Dei cernere,
   Et ferventer diligere.
Talis est vita virginum,
   Quae contemplantur Dominum.
Totum sibi dant animum,
   Vitant amplexus hominum.
Praeclara virgo talibus,
   Kyneburga virtutibus,
Et insignita moribus,
   Placuit coeli civibus.

Deo vero sit gloria,
Qui dat de sua gratia,
Nobis imitabilia,
Virginis exemplaria. Amen.
V. Diffusa est gratia.
A. Exultet omnis spiritus,
Et magnificetur ille,
Qui respexit coelitus,
Humilitatem ancillae,
Cujus nomen sanctitas,
Cui placet castitas,
Qui virgines amat intime,
Et humiles exaltat optime.
P. Magnus.

Oratio.

SANCTAE virginis tuae Kyneburgae, Domine, supplicationibus tribue nos foveri, ut cujus venerabilem festivitatem celebramus, ejus intercessionibus commendemur et meritis pardonemur.

In Translatione ejusdem. Oratio.

DEUS qui nos translationem Sanctae Kyneburgae virginis pia devotione celebrare voluisti, concede propitius, ut de morte peccati ad vitam justitiae translati, beneficiis ejusdem virginis muniamur in praesenti, et in futuro praemiis perfruamur aeternis.

Ad matutinas. Invitatorium.

In honore Kyneburgae,
Veneremur Dominum,
Cujus vita nos invitat,
Ad coronam virginum.
P. Venite.

In Translatione.

Adoremus venerantes,
 Natum regis gloriae,
In honore Kyneburgae,
 Virginis eximiae.
P. Venite.

Hymnus.

Exultet coelum [Ut supra ad Vesperas].

In primo Nocturno.

A. Virgineus natus cujus pius est dominatus,
 Et virtute ratus mundi lavit ille reatus.
P. Domine Dominus noster.
V. Ipse Kyneburgam celsa virtute beavit,
 Et crebris miris virtutum mirificavit.
P. Coeli enarrant.
A. Te mare te tellus te praedicat aer et ignis,
 Quo Kyneburga nitet praeclaris praedita signis.
P. Domini est.
V. Diffusa.

Lectio Prima.

Ex Angelica doctrina religiose docemur cum Tobia opera Dei revelare, et honorifice confiteri. Proinde ea praecipue Dei opera revelanda sunt posteris, quae per angelos suos, aut per spiritus humanos jam beatos, atque ad ipsorum angelorum ordines pro suis correspondentibus meritis assumptos, pro fidelium suorum consolatione tam spirituali quam corporali, dignatur operari clementia Salvatoris. Haec insuper eo diligentius

agenda sunt, ne beneficiis divinis arguamur ingrati, ea negligenter occultando, immo quatinus per ea Christi fideles ad devotionem excitentur, ut praedicetur mirabilis Deus in sanctis suis, atque laudetur Dominus in sanctis ejus. Ut igitur virgo praeclara digna Deo vitae venerabilis beatae memoriae Kyneburga glorificetur in Omnipotente Rege Superno, necnon Rex omnium regum collaudetur in suae sanctae virginis praeconio, praedicanda sunt mira magnalia, quae Deus Omnipotens meritis virginis prefatae operatus est antiquis temporibus, ac etiam modernis ad subsidium devote ac pia fide visitantium capellam, per venerabilem dominum Robertum episcopum Herefordensem sanctissimae vitae praelatum, et tam in spiritualibus quam in temporalibus probidum et circumspectum, anno ab Incarnatione Christi millesimo centesimo quadragesimo septimo, in honore Kyneburgae virginis sollemniter dedicatam. Situatur autem praedicta capella prope murum villae Gloucestriae juxta portam australem. Tu autem.

R. Virgo felix et felici praedita munimine,
Claudos gressu, caecos claro reparatque lumine,
Spiritali et vitali aegros medicamine.
V. Hoc patet in factis praesentibus atque peractis.
Claudos.

Lectio Secunda.

DIGNA praeconia sacrae virginis Kyneburgae simplici stylo scripturi conformare nos debemus sanctis antiquis patriarchis et prophetis, caeterisque patribus veris Dei cultoribus qui divinitus admoniti opera quae Deus fecerat, non pro eis praecise, verum etiam pro salute totius generis humani filiis suis enarrare, ut cognoscat generatio altera de progenie in progeniem studiose curaverunt. Sic Moyses praecepit dicens, Doce filios vestros, ut memoriter teneant mirabilia quae nobiscum fecit Deus. Mathathias quoque Judae Machabei fratrumque suorum pius pater, filios suos prudenter

instruxit antiqua patrum suorum merita recitans de generatione in generationem. Talis siquidem narrandi processus ab initio rei et deinceps continue per probos viros fide digna relatione deductus, habere censetur authenticum fundamentum. Ad notitiam igitur posterorum perveniat, quod sicut ab antecessoribus nostris religiosis ac devotis personis pia fide didicimus, sancta virgo Kyneburga ex antiquorum Saxonum regali prosapia traxit originem, sed nobilitatem sui generis innocentis vitae moribus excellentius illustravit. Cumque ad regales nuptias juxta natalium suorum dignitatem fuisset per suos parentes et amicos disposita, ipsa divinitus inspirata in humiliori statu Omnipotenti Deo servire desiderans thalamos regales aulicamque familiam subterfugiendo dereliquit.

R. Admiranda virgo Christi,
  Meriti mirabilis,
Munda Deo permansisti,
  In virtute stabilis.
Mundum istum tu sprevisti,
  Gloriae mutabilis,
Deo coeli adhaesisti,
  Constanter amabilis.
V. Semper amabilis et venerabilis alma puella. Deo.

Lectio Tertia.

PERVENIT itaque virgo devota saeculi fugiens honores atque sui contemptum probare cupiens ad villam Gloucestriae, omnibus hominibus illius patriae penitus ignota, et cuidam pistori vice ancillae se obtulit servituram. Sed velut castus Joseph in obsequio servili non deseruit animae libertatem, immo peccati servitutem abjiciens, devotae conversationis virtutibus atque honestae vitae moribus Deo et hominibus studuit deservire. Respexit Deus humilitatem ancillae suae, et misertus illius, omnia ejus opera feliciter ac prospere dirigebat. Talibus

nimirum meritis egregiis erat ipsa virgo magistro suo pistori praefato cara valde, et de filia regis filia pistoris est adoptata. Exinde pistoris uxor, invidiae flammis accensa ac suspicione zealotypiae, sed magis ex malitiosa praesumptione propriae voluntatis agitata, quadam die, absente marito, virginem solam reperiens, hostiliter invasit et interfecit. Et ne facinus foemineum contra sexus pietatem peractum vicinis pateret, virgineum corpus in puteum vicinum, qui ex ejusdem virginis nomine Kyneburgae fons vulgariter vocatur, latenter projecit. Post longum denique temporis intervallum reversus pistor ad domum suam, virginemque Kyneburgam in occupatione solita non inveniens, Ubi est, inquit, filia mea Kyneburga? Respondens uxor indignanter ac mendaciter dixit, Quo virgo abierat penitus se nescire. Anxius igitur homo de virginis absentia diutina solicitudine circumquaque virginem requirebat. Pervenit postremo circumeundo juxta fontem praefatum quaerens et moerens, atque dicens alta voce, Ubi est cara filia mea Kyneburga? Statimque audivit pistor vocem virgineam de puteo respondentem, ac dicentem: Hic ego sum, mi domine et pater bone. Stupefactus pistor propter vocem de puteo resonantem diligentius inquirens, corpus virginis extraxit de puteo, ipsumque corpus vere mortuum convocatis vicinis patenter ostendit. Post haec sepultum fuit corpus praefatae virginis juxta fontem praedictum, et supra corpus infra breve tempus fit honesta basilica constructa, in qua deinceps Omnipotens Deus gloriosae virginis Kyneburgae merita signis miraculosis multipliciter declarat.

R. Nos quos culpa noxialis terrae stravit miserae,
Adjuvando miserando digneris invisere,
Leva stratos reddens gratos summo regi gloriae,
Ut laetentur et salventur in coetu laetitiae.
V. Hunc serva coetum caelesti laude repletum.
Ut laetentur. Gloria. Ut.

In Secundo Nocturno.

A. Verbo quo coeli firmantur virgo beata
Excoluit verbum quo permanet inviolata.
P. Eructavit.
A. Insopita manens Christo sponso veniente,
Dum strepuit clamor cunctis in voce repente.
P. Deus noster refugium.
A. Haec supra petram firmam firmata resedit,
Ejus et obtentu morbus languorque recedit.
P. Fundamentum.
V. Specie tua.

MULIER quaedam Matilda nomine per quinquennium gravi fuit aegritudinis anxietate depressa, in sinistra quippe sui corporis parte nervos contractos et arefactos habuit adeo quod nec poplitem flectere potuit aut extendere ad usum. Tandem ad oratorium Sanctae Kyneburgae se fecit adduci, ibique vigiliis et orationibus insistens, divinae sensit suffragium virtutis. Pristina quippe membrorum suorum sanitate recepta, processit ad altare, est Omnipotenti Deo ac beatae virgini Kyneburgae gratias actura. Quidam vir nomine Johannes de vicinio satis propinquo ydropico morbo quinque mensium languit intervallo cujus tumor in deterius vergens horribiliter excrevit, et potestatem subtraxit gradiendi, deductus itaque ad sanctae Kyneburgae capellam instanter imploravit virginis opitulamen, terrenas medicinas quae nihil sibi ante profecerant penitus recusavit. Cumque nomen virginis sonare in ore humiliter obsecrantis, misericorditer operante Deo, se sensit exoneratum ab aegritudine qua graviter vexabatur. Quaedam mulier Aliza nomine fistulae morbo sex annis oppressa magis ac magis in dies periclitabatur. Perforaverat pestis femur ejus unde sanies effluxit cum tanto foetore, quod non sine molestia accedere quis posset ad eam. Consulti medici dixerunt quod erat incurabilis aegritudo. Ipsa denique mulier spem habens in misericordia Dei, et in precibus sanctae Kyneburgae,

pernoctabit in orationibus ad terram prostrata in capella virgini dedicata. Tandem visum est ei velut in extasi constitutae quod quaedam reverendae gloriae domina comparuit quae alteri decore virgini diligenter injunxit ut mulieris aegrotantis abstergeret saniem, quod et ipsa fecit, putredinemque penitus delevit. Ipsa denique mulier ad se reversa, seque sanam sentiens, ad altare gratulanter ascendit, Christo nostro Redemptori suaeque clarissimae Genitrici Mariae ac etiam sacrae virgini Kyneburgae gratias devote peregit. Sequente quoque die clarescente in loco fistulae signum vidit ad instar fili coccinei, sed non aliae reliquiae superfuerant infirmitatis. Tu autem.

R. O Virgo quae gloriam
Gaudens introisti,
Deum et ecclesiam
Vivens dilexisti,
Velis nobis gratiam
Impetrare Christi.
V. Cujus specialiter
Ancilla fuisti,
Illique per omnia
Placere studuisti. Ut.

Lectio Quinta.

PLACUIT etiam Salvatori virginem sanctam magnificare Kyneburgam, aut se potius in ea magnificari cuidam viro Rogero nomine conferendo remedium diu desideratum. Ejus quippe manus dextra sic erat mortificata, quod penitus ejus officio privabatur, pluribus annis evolutis, accessit ad basilicam virginis, dexterae suae sanitatem postulans instanter. Profuit ei propitiatio dexterae excelsi quae dexteram suam vivificabit, agilitatem praestitit et abilitatem ad officium suum. Mulier quaedam Londoniis exorta ab immundo spiritu furoris arrepta, horribiliter agitabatur, motu temerario capitis, oculorum distortione, singulisque caeteris membris suis signa terribilia suae frenesis ostendebat. Lusit cum ea diabolus et

illusit, atque injuriatus est creaturae Dei, ut exasperaret in se Creatorem. Misertus est tamen Deus illius amentis, et in ejus mentem misit se Kyneburgae virginis adire limina, et ibi Dei misericordiam implorare. Accessit igitur ad capellam muliercula mentis inops, venerandae virgini supplicans ut intercederet pro ea ad Dominum quatinus ei sanae mentis vires in integrum reformaret. Quid plura? Mentis compos effecta finem furori suo mox probavit imponi. Deo gratias egit, quod hostis atrocis catenas evasit. Aliud quoque miraculum restat memoriae commendandum. Puer quidam trium circiter annorum de patria propinqua fuit ad virginis oratorium transvectus, cujus poplitum nexus ita contracti fuerant a nativitate sua, quod tali clunibus haerere videbantur. Clamabant pro eo parentes ad Dominum, clerus ac populus misericordia moti suppliciter orabant. Respexit puerum Deus recordatus mis ricordiae suae, laxatis nervis tibiae ceperunt extendi, et in laudem Creatoris voces populi resonabant. Quaedam generosa cujusdam nobilis de Echaundos uxor legitima, post partum editum diutina fuit aegritudine depressa, lectoque retenta manuum ac pedum totiusque pene corporis vi inops habebatur. A tempore quippe Quadragesimae usque ad mensem Julii tali jacuit attenuata languore. Deinceps cum sibi aptari fecisset candelam ceream juxta mensuram sui proprii corporis pro remedio suae infirmitatis in capella Sacrae Kyneburgae offerendam, vigor in artus rediit, semel et secundo basilicam virginis debilis adiit, tertio venit incolumis pro sibi collata sanitate gratias actura.

R. Velut stella matutina
Inter coeli sydera,
Sic luxisti dum fuisti
Inter mundi aspera.
Tu sprevisti renuisti
Mundana solamina,
Meruisti suscepisti
Coeli sacra lumina.
V. Lumina nostra rege,
Rex mala nostra tege.
Tu sprevisti.

Lectio Sexta.

ADOLESCENS quidam quindecim circiter annorum ab utero matris mutus, nullum verbum protulerat plectro linguae formatum; alia quoque membra plura sui corporis officio debito carebant. Avunculi sui ducatu venit ad capellam sacrae virginis Kyneburgae coram altari solo tenus incurvatus avunculus preces effudit cum gemitu totiusque cordis compunctione. Denique ad invocationem venerandae virginis comperit adolescens solutum esse vinculum linguae suae, caeteris membris ad officia debita restitutis. Exinde cum novitate mira verba protulit articulata, referens Deo gratiarum actiones. Aliud insuper opus divinae miserationis est memoriae commendandum. Vir quidam vicinus per triennium jacuit omnino caecus, tandem ducatu filiae accessit ad virginis oratorium et videndi solatium suppliciter implorabit. Cumque perseveraret in oratione devotus lumen oculorum recepit, et ad laudem Dei sacraeque virginis Kyneburgae suffragia praedicanda quid Deus cum eo misericorditer egerat omnibus audire volentibus manifestabit. Mulier quaedam Matilda nomine per triennium caloris naturalis pertulit penuriam totaque languori subjecta gravi gemuit anxietate, squalebat pallore facies, dum vis morbi corpus depascebat, ac per annum dimidium gressuum beneficio penitus carebat. Audita tamen fama miraculorum Dei ad invocationem sanctae Kyneburgae, confidens in ejus suffragio, incunctanter se fecit ad ejus oratorium praesentari. Post orationem dominicam ad Deum fusam, porrectis manibus ad virginis imaginem ipsius merita sibi petiit suffragari. O res digna miraculo, jocunda relatu, una eadem hora orationem fudit, et ad vigorem reformata non ulterius lecto decubuit illius infirmitatis necessitate. Praeterea in sexu muliebri frequentius invenitur cor ad pietatem atque ad devotionem flexibile, inde non mirum si in eodem sexu Deus mirabilia sua frequentius operetur. Mulier satis nota de patria propinqua gibbos guttasque seu strumas inter scapulas

habuit, alias quoque varias totius corporis infirmitates, cum vertigine capitis patiebatur. Suggerebant sibi vicini vota peregrinationis ad loca facere diversa. Denique sibi paulisper dormitanti videbatur elegantissimae formae mulierem assistere, quae prima secundaque tertia quoque visione apparens monuit omnino quatinus ad sanctae Kyneburgae suffragia properaret. Processit igitur ad virginis limina, et coram altari piae devotionis confessionis et orationis effudit holocausta. Orationis devotae bonaeque fidei spei quoque non dubiae sequebatur effectus praeoptatus. Ipsa namque preces effundente, dolor omnis recessit a capite, evanuerunt strumae seu gibbi, cessantibus omnibus doloribus, reliquae partes corporis omnes ad integrum statum restitutae fuerunt. Convocatis clericis aliisque fidelibus in testimonium quae circa eam Deus misericorditer egerat publice praedicavit. Tu autem.

R. Jugi mente permanente
Frequentabas limina
Domus Dei a qua rei
Sumunt sacra lumina,
Animarum et earum
Vera consolamina.
V. Tu sis solamen animae nostraeque juvamen.
Animarum. Gloria. Animarum.

In Tertio Nocturno.

A. Febris fervorem frenesis tollitque dolorem,
Aufert languorem paralysis atque stuporem.
P. Cantate; prima.
A. Quam veneranda manet pia virtus virginitatis,
Quae lapsos reparat et foederat ima beatis.
P. Dominus regnavit, exsultet.
A. Haec solvit vinculis in carcere compede vinctos,
Ad vitam reparat virgo precibus nece cinctos.
P. Cantate; secunda.
V. Adjuvabit eam.

Secundum Matthaeum in illud. Dixit Jesus discipulis

suis, Simile est regnum coelorum decem virginibus quae accipientes lampades suas exierunt obviam sponso et sponsae. Et reliquum.

Omelia Beati Augustini Episcopi.

INTELLIGIMUS, carissimi, ad omnes nos, id est, ad universam omnino Ecclesiam istam parabolam pertinere. Nam quinque et quinque virgines omnes omnino sunt animae Christianorum. Non qualescumque animae, sed tales animae quae habent catholicam fidem, et habere videntur bona opera in Ecclesia Dei: et tamen ex ipsis quinque sunt prudentes et quinque fatuae. Quare ergo appellatae sunt quinque, et quare virgines? Omnis anima in corpore ideo quinario numero censetur, quia quinque sensibus utitur. Nihil est enim quod sentimus in corpore, nisi janua quinquepartita, aut videndo, aut audiendo, aut odorando, aut gustando, aut tangendo. T.

R. Virgo Jesu Christi Kyneburga Deo placuisti.
Te duce strata datur per quam pia plebs gradiatur.
Munditiae castra servans protendis ad astra.
V. Festa canit turba tua felix haec Kyneburga.
Munditiae.

Lectio Octava.

IN pluribus Evangelii locis docemur quod non est imputandum difficultati voluntatis divinae, nec insufficientiae meriti sanctorum, sed potius incredulitati desidiaeque petentium, quando in sanctorum capellis dedicatis cessant aut deficiunt remedia infirmorum. Proinde modernis temporibus misericordiae divinae fons vivus qui diu latuerat quasi sub abysso judiciorum Dei infra latebras occultas et investigabiles vias quas sapientiae et scientiae solius ipsius Dei novit inscrutabilis altitudo, exuberanter erumpere coepit in capella sanctae Virginis Kyneburgae, ac se ad aspectus hominum per merita ejusdem virginis miraculose dilatare, miraculorum quippe modernorum initia tali occasione coeperunt efflorere. Sacerdos quidam

capellae virginis Kyneburgae nuper custos constitutus, latenter ejus ossa irreverenter ac temerarie contrectavit, et de loco in quo reposita fuerant extraxit et amovit, contra sanctorum patrum canonicas sanctiones de reliquiis et veneratione sanctorum. Haec tamen dictum sacerdotem agere, idcirco Deum credimus permisisse, quatinus contra irreverentiam virgineis ossibus exhibitam, bonitas divina ejus antiqua renovaret miracula, ac etiam nova faceret hactenus inaudita. Igitur divulgata contumelia sacrae virginis ossibus per sacerdotem illata venerabilis magister dominus Willelmus Courthenay Archiepiscopus Cantuariensis et totius Angliae primas habita super hac re examinatione diligenti, compertisque mirabilibus quae Deus Omnipotens per intercessionem hujus virginis operari dignatus est, prout fama celebris proclamat, auctoritate metropolitana de consensu episcoporum cum consilio jurisperitorum reliquias ipsius virginis cum honore debito solemniter transferri mandavit. Igitur apparatis his quae juxta modulum humanum ad gloriam et laudem Dei atque ad tam preclarae virginis honorem videbantur pertinere, anno Domini millesimo trecentesimo nonagesimo, die decimo mensis Aprilis in villa Gloucestriae celebrata fuit translatio reliquiarum Sanctae Kyneburgae virginis per venerabilem dominum Henricum episcopum Wygorniensem, comitantibus et sacris vestibus sollemniter insignitis reverendis praelatis ejusdem patriae, abbate monasterii Sancti Petri, prioribus canonicorum Lanthoniae et Sancti Oswaldi, cum conventibus eorum, in praesentia strenuissimi ducis Gloucestriae domini Thomae de Wodestoke multorumque cum ipso nobilium dominorum et dominarum ac aliorum tam religiosorum ordinum approbatorum quam saecularium virorum honesta comitiva, plebisque communis multitudine copiosa. Exinde coeperunt devoti fideles Christi longe lateque constituti antiqua Dei beneficia his qui vexabantur variis infirmitatibus per intercessionem hujus gloriosae virginis gratiose collata ad memoriam revocare, et pro suis suorumque languoribus virginis suffragia devotius implorare. Unde contigit deinceps multa miracula fieri pro visitantibus praedictam virginis capellam ad laudem et gloriam Christi. Qui cum

suis, Simile est regnum coelorum decem virginibus quae accipientes lampades suas exierunt obviam sponso et sponsae. Et reliquum.

Omelia Beati Augustini Episcopi.

INTELLIGIMUS, carissimi, ad omnes nos, id est, ad universam omnino Ecclesiam istam parabolam pertinere. Nam quinque et quinque virgines omnes omnino sunt animae Christianorum. Non qualescumque animae, sed tales animae quae habent catholicam fidem, et habere videntur bona opera in Ecclesia Dei: et tamen ex ipsis quinque sunt prudentes et quinque fatuae. Quare ergo appellatae sunt quinque, et quare virgines? Omnis anima in corpore ideo quinario numero censetur, quia quinque sensibus utitur. Nihil est enim quod sentimus in corpore, nisi janua quinquepartita, aut videndo, aut audiendo, aut odorando, aut gustando, aut tangendo. T.

R. Virgo Jesu Christi Kyneburga Deo placuisti.
Te duce strata datur per quam pia plebs gradiatur.
Munditiae castra servans protendis ad astra.

V. Festa canit turba tua felix haec Kyneburga.
Munditiae.

Lectio Octava.

IN pluribus Evangelii locis docemur quod non est imputandum difficultati voluntatis divinae, nec insufficientiae meriti sanctorum, sed potius incredulitati desidiaeque petentium, quando in sanctorum capellis dedicatis cessant aut deficiunt remedia infirmorum. Proinde modernis temporibus misericordiae divinae fons vivus qui diu latuerat quasi sub abysso judiciorum Dei infra latebras occultas et investigabiles vias quas sapientiae et scientiae solius ipsius Dei novit inscrutabilis altitudo, exuberanter erumpere coepit in capella sanctae Virginis Kyneburgae, ac se ad aspectus hominum per merita ejusdem virginis miraculose dilatare, miraculorum quippe modernorum initia tali occasione coeperunt efflorere. Sacerdos quidam

capellae virginis Kyneburgae nuper custos constitutus, latenter ejus ossa irreverenter ac temerarie contrectavit, et de loco in quo reposita fuerant extraxit et amovit, contra sanctorum patrum canonicas sanctiones de reliquiis et veneratione sanctorum. Haec tamen dictum sacerdotem agere, idcirco Deum credimus permisisse, quatinus contra irreverentiam virgineis ossibus exhibitam, bonitas divina ejus antiqua renovaret miracula, ac etiam nova faceret hactenus inaudita. Igitur divulgata contumelia sacrae virginis ossibus per sacerdotem illata venerabilis magister dominus Willelmus Courthenay Archiepiscopus Cantuariensis et totius Angliae primas habita super hac re examinatione diligenti, compertisque mirabilibus quae Deus Omnipotens per intercessionem hujus virginis operari dignatus est, prout fama celebris proclamat, auctoritate metropolitana de consensu episcoporum cum consilio jurisperitorum reliquias ipsius virginis cum honore debito solemniter transferri mandavit. Igitur apparatis his quae juxta modulum humanum ad gloriam et laudem Dei atque ad tam preclarae virginis honorem videbantur pertinere, anno Domini millesimo trecentesimo nonagesimo, die decimo mensis Aprilis in villa Gloucestriae celebrata fuit translatio reliquiarum Sanctae Kyneburgae virginis per venerabilem dominum Henricum episcopum Wygorniensem, comitantibus et sacris vestibus sollemniter insignitis reverendis praelatis ejusdem patriae, abbate monasterii Sancti Petri, prioribus canonicorum Lanthoniae et Sancti Oswaldi, cum conventibus eorum, in praesentia strenuissimi ducis Gloucestriae domini Thomae de Wodestoke multorumque cum ipso nobilium dominorum et dominarum ac aliorum tam religiosorum ordinum approbatorum quam saecularium virorum honesta comitiva, plebisque communis multitudine copiosa. Exinde coeperunt devoti fideles Christi longe lateque constituti antiqua Dei beneficia his qui vexabantur variis infirmitatibus per intercessionem hujus gloriosae virginis gratiose collata ad memoriam revocare, et pro suis suorumque languoribus virginis suffragia devotius implorare. Unde contigit deinceps multa miracula fieri pro visitantibus praedictam virginis capellam ad laudem et gloriam Christi. Qui cum

Patre et Spiritu Sancto vivit et regnat Deus per infinita saeculorum saecula. Amen.

R. Fulgens praeclara
Virgo prosiliit,
Quae de prosapia
Fulgenti nituit.
Sed morum gratia
Magis emicuit,
A pueritia
Deo se praebuit.
Vera munditia
Constanter nituit.
Sed morum.

Lectio Nona.

JUVENES et virgines senes cum junioribus laudent nomen Domini qui in omni aetate hominum ad honorem electorum suorum mirabiliter operatur. Anno siquidem Domini millesimo trecentesimo nonagesimo parvulus filius cujusdam vicini de patria sine custode vagus in puteum calcis cecidit, et ibidem in aqua calce mixta diu jacens, prout judicio humano dubium esse non poterat, suffocatus est mortuus et submersus. Contigit patrem pueri cum quodam vicino suo juxta puteum transire. Vicinus in puteum prospiciens vidit parvam tunicae pueri partem in aqua supernatare. Quid, inquit, est, quod in puteo jam cerno? Pater pueri nihil periculi suspicatus, respondit non esse curandum. Post haec completis aliis occupationibus, quaesivit pater affectu paterno ubi esset filius suus, quem cum non infra domum invenisset, recordatus de puteo. Reversus est cum praedicto vicino, arreptoque hamo extraxit ad litus mortuum algidum rigidumque cadaver. Accurrunt vicini ad lachrymosos ejulatus paternos, pueri corpusculum manibus contrectant inspiciunt et vertunt. Demum de vita pueri desperantes recedunt aut obmutescunt. Cumque pater pueri post inventionem corporis horam diei et amplius in luctu et lachrymis peregisset, virile cor

arripiens ad auxilium divinum et sanctae Kyneburgae suffragium confugit, orans et dicens, O benedicta virgo quae nuper in capella tibi dedicata apud Gloucestriam gloriose fuisti translata, in hac urgenti mea tribulatione penes Deum digneris intercedere, et votum Deo et tibi facio quod antequam comedam nudum et discalceatum habebis me tuum humilem peregrinum. Nondum verba compleverat orationis et ecce puer revivíscens movere se coepit. Extulerunt circumstantes voces in sublime benedicentes Dominum in sanctis suis mirabilem et gloriosum. Ad capellam igitur sacrae virginis accessit pater pueri cum vicino teste praefato aliisque comitantibus, et die sequenti praesentibus praelatis religiosis clericisque notariis et aliis de burgensibus honestioribus villae praedictae numerosa quoque populi multitudine omnia praescripta circa filium suum miraculose peracta, tactis sacris evangeliis jurans asseruit, et cum vicinorum suorum testimonio confirmavit. Aliud quoque miraculum Christi fidelibus est notificandum ad Dei laudem et sacrae virginis Kyneburgae honorem. Filia cujusdam vicini de patria per quatuor annos et amplius ab immundo spiritu vexata fuit, adeo quod quasi de vita propria desperans mori jugiter optabat. Non obstante solerti custodia per parentes adhibita vix a puteis et aquis aliisque precipiciis praeservabatur. Tandem parentes ex toto corde Deo sanctaeque virgini Kyneburgae se pro remedio contulerunt, et juxta mensuram corporis filiae suae candelam ceream offerendam parare curaverunt. His expletis fugato demone praefata filia tam mentis quam corporis integram recuperavit sanitatem. Tu.

R. Sprevi mundi gloriam,
Ejus et amorem,
Complectens in pectore,
Meum redemptorem,
Qui mundum per proprium
Redemit cruorem,
Hostis claustra conterens,
Et stravit vigorem.

V. Vicit victorem nostrum tulit ipse dolorem.
Qui mundum. Gloria. Qui.
V. Adjuvabit.

In Laudibus.

A. Haec est virgo vigilans,
Lampadem illuminans,
Sponsum exspectando.
P. Dominus regnabit.
A. Cuncta vana respuens,
Mores et eliciens,
Christum amplectendo.
P. Jubilate.
A. Haec est nigra sed formosa,
Caritate radiosa,
Cara regi gloriae.
P. Deus Deus meus.
A. Sponsa Christi speciosa,
Vana fugans vitiosa,
Expers omnis scoriae.
P. Benedicam.
A. Fac nos tecum vigilare,
Lumen cordis et ornare,
Purae conscientiae.
P. Lauda.

Capitulum.

Qui gloriatur.

Hymnus.

Virtutes tres in virgine,
Bono sequamur ordine,
Quas ipsa sine crimine,
Servavit ab origine.
Prima virtus humilitas,
Secunda sit virginitas,

Mentis et carnis puritas,
Tertia vera caritas.
Deo placens et humilis,
Proximis amabilis,
Talis es virgo stabilis.
O Kyneburga nobilis,
Te castam Deus diligit,
Ac sibi sponsam eligit,
Post mortem carnis erigit,
Et sic ad caelos dirigit.
Te carus amor afficit,
Caritas vera perficit.
In te supplet et efficit,
Quod natura non sufficit.
Gloria tibi Domine,
Qui tot agis in virgine.
Fac nos, tuo regimine,
Frui coelesti lumine. Amen.
V. Elegit eam.
A. Nunc es virgo cum dilecto,
Verae pacis et in lecto,
  Et salutis requie.
Fac nos virgo tecum esse,
Ut cantemus indefesse,
  Ecce assunt nuptiae.
P. Magnus.

Oratio.

Sanctae virginis tuae Kyneburgae.

Ad Secundas Vesperas.

A. Haec est virgo.
P. Dixit Dominus.
A. Cuncta bana.
P. Laetatus.
A. Haec est nigra.
P. Nisi Dominus aedificaverit.

A. Sponsa Christi.
P. De profundis.
A. Fac nos terum.
P. Lauda Jerusalem.

Capitulum.

Qui gloriatur.

Hymnus.

Exultet caelum.
A. Virginis qui laudibus,
Adesse gaudemus,
Similes in moribus,
Fore laboremus.
Mores ejus multiplices,
Cum devotione,
Imitemur supplices,
In religione.
P Magnus.

A. Tua sunt haec Christe opera, qui sanctos tuos ita glorificas ut etiam dignitatis gloriam in eis perfectam monstrare miracula facias. Tu insignem Kyneburgae conversationem virginalium virtutum admirabili copia decorasti, et ei coeleste munus collatum gloriosis indiciis es dignatus ostendere. Hinc laus hinc gloria tibi resonet in saecula.
P. Magnus.

Ad Processionem. In Die.

Salve festa dies toto venerabilis aevo,
Qua Kyneburga pia migrat ab hac patria. Salve.
Moribus interius similis fuit illa superius,
In terris vitam duxerat angelicam. Salve.
Jungitur optatis concivibus ipsa beatis,
Gaudia perpetua plaudit adesse sua. Salve.
Regnum terrenum genitura parabat amenum,
Sprevit ut obscenum conjugium juvenum. Salve.
Dilexit Christum, mundum despexerat istum,
Carnis delicias ejus amicitias. Salve.

Virgineos mores observavit meliores,
  Felle carens humilis prona tacens subtilis. Salve.
Casta manens pura nec erat carnis sibi cura,
  Ut Christo placuit vivere sic studuit. Salve.
Sanguine praeclara generosa Deo quoque cara,
  Saxonicae prolis magnificae sobolis. Salve.
Pro zelo Christi procul advena virgo fuisti,
  Celans progeniem germinis et seriem. Salve.
Te servam faciens humilem regalia vitas,
  Tutior ut fugiens sit tua virginitas. Salve.
Servula pistoris famularis in omnibus horis,
  Arte sed uxoris est tua vita foris. Salve.
In fontem jacitur corpus sed sic reperitur,
  De fundo loquitur corpus et extrahitur. Salve.
Concurrunt turbae populi de qualibet urbe,
  Quod quisquis patitur solvitur eripitur. Salve.
Virgine pro pura fiunt miracula plura,
  In prece quod petitur hoc pia prosequitur. Salve.
Subsistunt sani juvenes pueri veterani,
  Haec sunt dona Dei laus referatur ei. Amen.

Ad Processionem. In Translatione.

Salve festa dies toto venerabilis aevo,
  Qua Kyneburga suo tollitur ex tumulo. Salve.
Consilio sanus praesul metropolitanus
  Transferri docuit sicut eam decuit. Salve.
Digne translata sursum sunt ossa locata,
  Ne premat illa solum dum tenet ipsa polum. Salve.
Assistunt proceres dominus dux miles et haeres,
  Praelati veteres advenirunt celeres. Salve.
Burgenses multi magno sunt agmine fulti,
  Et doctor cleri praedicat hoc fieri. Salve.
Claustralis surge cane tu laudes Kyneburgae,
  Fratres cum paribus, stetit tribus ordinibus. Salve.
Concinat in turbis processio plebis et urbis
  Cantica virginea, virgo praeoptat ea. Salve.
Aegri sanantur miracula jam renovantur,
  Omnia laetitiae signa sonent hodie. Salve.

Infirmi quique muti claudi reliquique,
  Sani prosiliunt vota Deo faciunt. Salve.
Virgo tuae laudi sistentes quaesumus audi,
  Sit par omnino gloria laus Domino. Amen. Salve.

Ad Missam de Die. Offertorium.

Dilexisti justitiam.

Oratio.

Sanctae virginis tuae Kyneburgae.
[Ut supra, ad vesperas.]

Epistola.

Qui gloriatur.

Graduale.

Specie tua.
V. Propter.
V. Alleluia.
V. Diffusa.

Sequentia.

Kyneburgae virginis,
Sine fastu criminis,
  Canamus praeconia.
. . . dit fastum humilis,
Christi virgo nobilis,
  Non placet superbia.
Virtus est humilitas,
Rectas Dei semitas,
  Sequens et vestigia.
Illam virgo tenuit,
Spernens mundum voluit,
  Patris uti gloria.

Quanto generosior,
Tanto laudabilior,
Est virtutis probitas.
Et quo major genere,
Eo sit in paupere,
Grandior humilitas.
Nascens ex egregia
Saxonum prosapia,
Dereliquit omnia
Parentelae praemia.
Sprevit temporalia,
Propter coeli praemia,
Volens per humilia,
Scandere coelestia.
Cor devotum fecit votum,
Tam solenne quam perenne,
Toto vitae spatio.
Puellarum sacratarum,
Votum ratum Deo gratum,
Fuit ab initio.
O beata consecrata,
Kyneburga tu nos purga,
Ne nos ire damnet virga,
Pro vetusto vitio.
Sed exemplo castitatis,
Tuaeque virginitatis,
Nos purgantes a peccatis,
Trahe tuo gaudio.
Tu vixisti non corrupta,
Jesu Christi sponsa nupta,
Conjuncta firmo foedere,
Et sine carnis scelere.
Tu es forma exemplaris,
Vitae norma regularis,
Instruens bene vivere,
Corde voce et opere.
Pro te mira facit Deus,
Et ab ira redit Deus.

Claudi muti badunt tuti,
Prece tua praebia.
Infirmorum medicina,
Pias aures nunc inclina,
Ne ruina repentina,
Lapsos pribet gratia.
Ope tua media
Deo reconcilia. Amen.

Evangelium S. Matthaei.

Simile est regnum coelorum decem birginibus.

Offertorium.

Offerentur regi birgines.

Secretum.

Gratanter Domine ad munera dicanda concurrimus quae nomini tuo pro solemnitate sanctae birginis tuae Kyneburgae suppliciter immolamus. Per.

Communio.

Diffusa est.

Postcommunio.

Haec nos gratia tua Domine quaesumus semper exerceat, ut et dibinis instauret corda nostra misteriis et sanctae birginis Kyneburgae solemnitate laetificet. Per.

In Translatione Sanctae Kyneburgae.
Secretum.

Omnipotens sempiterne Deus gratiose digneris acceptare munera quae tibi offerimus in honore Sanctae Kyneburgae

virginis cujus vitam acceptabilem majestati tuae fuisse signis et miraculis multipliciter ostendisti. Per Dominum.

Oratio.

Quaesumus Domine Deus noster ut intercessione beatae Kyneburgae virginis haec sancta quae sumpsimus conversationis ejus nos imitatores faciant atque participes praemiorum. Per Dominum.

In Festo Sancti Kynani Episcopi et Confessoris. Ad Vesperas.

A. Salve Kenane honor Midentium,
Jubar ecclesiae, doctor viventium,
Norma justitiae, doctor et mentium,
Nos perduc ad regnum post cursum praesentium.

In Translatione.

A. O lux Hyberniae, speculum sanctitatis,
Norma patientiae, vasculum puritatis,
Tuae colentes hodie translationis festiva solennia,
Tuis transfer precibus ad loca perennia.

Capitulum.

Ecce sacerdos.
R. Omnes gentes.
Exultet coelum laudibus,
Resultet terra gaudiis,
Laetis canamus vocibus,
Et ex totis praecordiis,
Psalmis ymnis et canticis,
Exultet devotio.
Placetur via judicis,
In hoc sacro solemnio.
Sint pura cordis intima,
Sordes absunt libidinum,

Mundificetur anima,
Prorsus a labe criminum,
Haec est dies laetitiae,
Qua coronabit praesulem,
Jesus Christus rex gloriae,
Mercedem reddens inclitam.

In Translatione dicitur sic.

Qua exultabit praesulem,
Willelmus pastor Midiae,
Immensam reddens gratiam,
Oremus ut hic athleta,
Cunctaque coeli curia,
Obtineat per merita
Beata nobis gaudia. Amen.

V. Ora pro nobis beate Kenane ut d[igni efficiamur promissionibus Christi].

A. Praesulum gemma Kenane,
Qui virtutibus claruisti
In aegrorum corporibus,
Nobis opem ferens Christi
Aegris medere moribus
Et post mortis hujus exilium,
Fac nos in coelis habere hospitium.

P. Magnus.

In Translatione.

A. O quantus stupor populi,
Quanta proborum laetitia,
Dum in loco sacri tumuli,
Mira fiunt prodigia.
Currunt senes et parvuli
Ad sancti beneficia.

Oratio.

Deus pro cujus amore sanctus confessor tuus Kenanus terrena contempsit et coelestia desideravit, fac nos ejus

meritis et precibus sic hujus vitae lubrica pertransire ut ad coelestia regna valeamus feliciter pervenire. Per Dominum.

Invitatorium.

Assunt sanctissimi Kenani solemnia quem dev tissime laudat ecclesia.

P. Venite.

Hymnus.

Pange lingua praeconium,
Kenani cantu dulcedinis,
Quem laudat turba coelestium,
Collaudet et vox hominis.
Conservans sine macula,
Pudicitiae lilium,
Implebat mente sedula,
Pietatis obsequium.
Veritatis discipulus,
Sed magister fidelium,
Ut verus Christi famulus,
Contempsit mundi fastigium.
Praesta beata Trinitas,
Ut in terra viventium,
Nobis detur haereditas,
Per ipsius suffragium. Amen.

In Primo Nocturno.

A. Multos per facundiam praedicationis,
Provexit ad patriam summae regionis.
P. Beatus vir.
A. Felix esse domus clare dinoscitur,
In qua hospes tam sanctus recipitur.
P. Quare fremuerunt.
A. Ministrat hic sanctus exterius per activam,
Sed quiescit interius per contemplativam.
P. Domine quid.

Lectio Prima.

TEMPORIBUS beati Patricii primi et praecipui Hyberniae apostoli circa annum ab incarnatione Domini quadringentesimum sextum reverentissimus praesul in Hibernia erat Kenanus nomine gente Connactea progenitus et de nobilibus originem utrinque traxit parentibus. Pater etenim ejus vocabulo Sedua de fortissimi regis nomine Categli de Momonia videlicet nati oriundus fuit prosapia, mater vero cui nomen Ethue regis Eugenii gentis scilicet Euganicae procreatoris, ut asserunt, fuit neptis. Hic autem inter quinquaginta similis aetatis obsides Hyberniae regi nomine Legario, et ipse traditus est obses. Dum vero non multo post tempore praefatus rex hos omnes a parentibus fidem quam ipsi dederant non servantibus omnino debitos apud regale oppidum Temoriam vellet interficere, sanctissimus homo Kervanus, qui juxta illud habitabat, Kenanum sibi dari ab eodem rege petivit, quod tamen non impetravit. Per pietatem itaque Regis regum ac Domini dominantium a suo non est fraudatus desiderio. Dum enim idem puerulus cum aliis a militibus crudelibus in aera sursum projiceretur ut hastarum punctis, prout moris erat, miserabiliter exciperetur, ab angelo hic solus sullevatus est et, in sinum praedicti senis in hostio suae cellulae pro ipso tunc orantis, immunis ab omni laesione depositus est, ac sic a morte immatura liberatus.

℟. Kenanus verum jubar ecclesiae pius et prudens,
Cella fuit divinae gratiae et vas pudicitiae.
℣. Christi minister lux erat hominum,
Morum magister, victricus criminum. Cella.

Lectio Secunda.

DEINDE a beato patre duabus monialibus ad nutriendum est commendatus, quod illae honeste satis egerunt. Ipsae aliquando eum calida balneare volentes aqua, et facultatem tamen tunc non habentes, aliis ejusdem praemonitae sanctitatis indiciis, juncum in praesenti

caespite radicatum in illius manu prius collectum cum suarum coadjutorio manuum attraxerunt, ac statim calida de loco ejusdem caespitis erupit unda, quae manum alterius earum in eam sine cautione protinus intinctam combussit. Quo viso beatae mulieres manum sancti pueri in eandem immiserunt, et ejus extemplo calor est temperatus, ac manus quae ante combusta est in eam tunc intincta pristinam recepit sanitatem. Congruo tempore post haec succedente, dilectus alumnus a sanctis foeminis cuidam religioso viro nomine Nathano ad erudiendum in literali scientia est commendatus, apud quem in omni obedientia ac docibilitate necnon et miraculorum per ipsum factorum coruscatione, ut tribus probabitur sequentibus, aliquot annis mansit. Quodam die solus in agro legens non clauso libro parumper pausavit. Interea coelum super omnia loca ei circumquaque adjacentia pluit, super ipsum vero ejusque librum gutta non cecidit una.

R. Jure tenens ordinario cathedram episcopalem,
Maturo se rexit consilio summopere detestans pharetram mundialem.

V. Pacem sequens et sanctimoniam,
Exturbabat lites et sysanniam. Maturo.

Lectio Tertia.

CURA itidem pastorali unius quam praefatus habebat Nathanus vaccae, ejusque vituli, ab eodem ipsi commissa, cuspide baculi sui inter eos terminum fecit in pascuis, trans quem nec vacca vitulum nec vitulus vaccam adire audebat, ipsis multotiens illic convenientibus, nec vitulus ore licet uberi matris incumbente lac sugere valebat. Ipsum quoque aliquando praefatus Nathanus solum juxta cellam foris dormientem ab angelis frequentari prospexit. Aliquanto vero tempore ibi transacto cum magistri sui consilio Hyberniam deseruit atque Martynum Turonicum episcopum adivit, sub quo sanctae religionis regulas, institutiones ecclesiasticas, atque divinam paginam didicit. Quo peracto, Jerosolimam iter dirigere

coepit; et cum ad Alpes perveniret quadraginta diebus et noctibus ad similitudinem Moysi et Helyae atque Christi ibi jejunavit. In fine vero jejunii angelus Domini apparuit ei dicens, Omnes petitiones tuae hic a Deo sunt tibi donatae, revertere ergo ad Hyberniam, ibique Deo tuo deservi; quod ille fecit. Postquam autem illuc devenit, celebre monasterium, angelo ei locum designante, fundavit, quod ab ecclesia quam ibi construxerat lapidea nomen accepit, id est Danileag, ecclesiarum etenim antea de virgis et tabulis structurae fiebant in Hibernia; in quo scilicet aedificio non solum hominum ad deportandam materiam sed angelorum usus est ministerio. In habenda vero ad opus faciendum serenitate aeris sanctorum orationum virorum adjutus est suffragiis.

℟. Cum haberet mundi divitias,
Non prorupit ad insolentias,
Abhorrens carnis delicias,
Egenorum fovit inopias.
℣. Secum crevit a pueritia,
Pietatis exuberantia,
Abhorrens. Gloria. Abhorrens.

In Secundo Nocturno.

A. Sidus quondam oppressum nebula,
Veri solis pandit miracula.
P. Cum invocarem.
A. Gemma sub terra latuit humili jacens loculo,
Cujus virtus apparuit multiplici miraculo.
P. Verba mea.
A. Ligna crescunt varia, et in Kenani praeconium
Crebra crescunt prodigia.
P. Domine Dominus noster.

Lectio Quarta.

INTEREA sanctissimus vir Kenanus cum fervore ecclesiam coepit Deo aedificare lapideam, quia ante illam in Hibernia non fuit usus ex lapidibus construendi ecclesias. Nam illo tempore contigit opus quodammodo

retardari, eo quod cementarii caeterique artifices dicebant quod si pluvia inter duos colles circumpositos unquam defflueret tempore, illi mox ab eo desisterent. Quo audito Sanctus Kenanus singulos Hyberniae Sanctos Sanctasque adiens rogabat ut aeris serenitatem adeo pro complendo opere impetrarent. Cumque a singulis aliquod tempus serenitatis, utpote septimanam ab uno, mensem ab alio, et tres menses ab alio obtineret, et adhuc tamen ad opus complendum spatio unius anni indigeret, quadam nocte vir Dei jejunans, Deum rogavit ut revelaret ad quem sanctorum pro anno illo obtinendo converteret; et qui revelat misteria eum docuit ut ad cellam Sancti Machoti quae domus Mothua jam dicitur, pro obtinenda sua petitione properaret. Et illuc cum quindecim clericis veniret honorifice est receptus, et quod petierat adeptus est. Nam orante Sancto Machoto et jejunante, a Datore Superno serenitatem unius anni cum dimidio pro complendo opere illo obtinuit. Hoc igitur dono concesso, Sanctus Machotus Sanctum Kenanum rogavit ut opere completo nunciaret ei, ut ipse ad consecrationem ecclesiae veniret, et ad primae noctis procurationem supervenientibus annonam provideret. His quoque peractis Sanctus Machotus duxit beatum Kenanum cum suis usque ad flumen cui nomen est Lyncorchagii, quae est aqua valde impetuosa pro tempore. Cumque aquam illam profundam ac rapidam clerici cernerent, atque immeabilem sine scapha indicarent, Sanctus Machotus pallium suum, in virtute illius qui in pallio Helyae desiccavit aquas Jordanis, misit super aquas, et in eo Sanctum Kenanum cum suis quindecim discipulis ultra flumen tanquam in rate tutissima transmisit. Sancto igitur Kenano cum suis ad cellam suam properantibus, pallium latum Sancti Machoti non complicatum in aliquo nec humefactum ad ipsum remisit.

R. Mundum vocans ad Agni nuptias hora coenae paterfamilias,
Saginati vituli varias praestat delicias.

V. Ad hoc convivium tam permagnificum,
Vocat per Kenanum coetum catholicum. Saginati.

Lectio Quinta.

COMPLETO vero Sancti Kenani opere, ad Sanctum Marchotum nuncium misit ut ad suam ecclesiam consecrandam sicut promiserat perveniret. Tunc audito nuncio sanctus vir Dei iter arripuit ac per montem cui nomen Mayrg transitum faciens duodecim cervos quos ibi invenerat serum tanquam boves domesticos suos ducens, singulos lignis oneravit ac sic ad ecclesiam Sancti Kenani perduxit. Cumque ligna de cervis deponerentur super eosdem misit vir Dei aquam ad carnes eorum decoquendas deferri, quod et factum est. Post haec Sanctus Marchotus jussit occidi cervos illos duodecim, ossa tamen eorum usque in crastinum illacerata observari. Satiatis igitur turbis pauperum atque aliis de venatione mirabili, Sanctus Marchotus in virtute illius mandavit, qui Lazarum foetentem solo verbo ad vitam vocavit, et statim ossa illa arida carnem et pellem induunt, ac spiritum vivum assumunt, atque in pristinum vigoris motum membra extenderunt. His omnibus peractis, in laudem Dei omnipotentis ipsa ecclesia consecrata, Sanctus Marchotus cum cervis illis mirifice resuscitatis usque ad montem unde eos assumpserat regressus est, atque ibidem illos dimittens, ad cellam suam pervenit, et hii cervi duodecim, ut a pluribus fertur, adhuc in monte illo cernuntur.

R. Granum excussum palea cadens in terra moritur, sed surgit messis triticea. Dum Kenanus ad coelos tollitur et a fidelibus veneratur.

V. Lux nova coelitus emicat et superna curia jubilat. Dum Kenanus.

Lectio Sexta.

DEINDE sanctos circumquaque visitavit viros et perpetuas cum illis confraternitates in Domino compegit ac spiritualia inivit consortia. Cum autem pervenisset ad Sanctum Carnetum, in magna receptus est laetitia, paratum est balneum quod intrare

nisi cum Carneto renuit. Quo simul inito, ille cum duabus manibus Kynanum est amplexatus, et ait, Corpus quod amplector nunquam putrescet in sepulchro, sed usque in extremum gloriosae resurrectionis die incolume durabit, quod esse verum non semel est probatum. Septem vero laminae ferreae quae ipsius Carneti austerae vitae viri corpus circumdabant velut cera a facie ignis inter manus sancti viri similiter illum amplectentis liquefacti sunt Kenani. His itaque peractis dextras insolubiles invicem dederunt societatis. Post haec praedicator egregius in occidentalem Hiberniae partem quae Connactea dicitur ad verbum divinum inibi seminandum proficiscitur, ubi multa miracula per illum sunt patrata.

R. Non me labor exulcerat,
Sed prae amore langueo,
Amor Christi me superat,
A quo tacere nequeo.
V. Quanta mihi fecerit video,
Ideoque miror et stupeo.
Amor. Gloria.

In Tertio Nocturno.

A. Verbo vitae praedicat,
Doctor egregius,
Et signis crebris emicat,
Doctor eximius.
A. Hic falsitatis rigidus pugnator
Veritatis fuit doctor lucidus et amator.
A. Quia devotis laudibus tui memoriam praesul recolimus.
O beate Kenane ora pro nobis quaesumus.

Evangelium Secundum Mathaeum.

Homo quidam peregre.
R. Homo datus in subsidium,
Kenanus praesul egregius,
Ei confert praesidium,
Ministratum divinitus.

V. Pontifex praeficitur,
Digne laureandus,
Quem grex sequitur,
Vere praemiandus. Praesul.

Lectio Octava.

IN regione quidem Lugenorum, in loco qui silva Cannani vocatur, super quendam lapidem sedit, discipulisque suis per prophetiae spiritum dixit, Fratres virgas incidite et ecclesiam ad opus beati qui adhuc non natus est filii hic construite; quod illi fecerunt. Postmodum ergo sanctus promissionis est natus filius qui congruo tempore secundum illius verbum ibi fundavit monasterium.

De eadem terra turbam daemonum, illius incolis ipsam discedentem discernentibus, in occidentalem oceanum fugavit. His aliisque similibus ab eodem patratis, verbique divini seminibus, versus orientem in regionem quae terra Convalli dicitur transmigravit, ubi et alia miracula. Filium regis nomine Amalgadium de morte ad vitam revocavit, qui et ipse sanctissimus Christi miles et fundator ecclesiae quae cella Amalgadii vocatur postea fuit. Deinde ad Euganicam gentem porrexit, ibique ydolum ejusque altare destruxit. In cujus loco ecclesiam fundavit, cui beatum Congellum suum videlicet discipulum praeesse constituit. In gente Ararbeorum quandam foeminam duos filios tribus annis in utero portantem signo crucis ei impresso statim parere fecit. Parvo post hoc tempore transacto mortuum quendam virum vitae restituit. Puerum quoque quem paulo post apud quendam sanctum episcopum invenit mortuum virtute orationis suae reliquit vivum.

R. Fulget decus ecclesiae
Claro nunc novo prodigio,
Kenanus splendet hodie
Diu latens sub nubilo,
Quem splendore rex gloriae
Revelavit eximiae.
V. Mira miraculorum diversitas revelatur
Per quam Kenani sanctitas declaratur.
Quem splendore.

Lectio Nona.

Ab hujus quoque beati discipulis viri qui in Galliarum terras pro sanctorum reliquiis ac voluminibus divinis, pro vestimentis quoque sacerdotalibus oleo et balsamo herbarumque seminibus ad Hyberniam deportandis fuerant directi, filius regis qui in praesentia eorum est defunctus, illi imposito sancti pontificis quem habebant baculo, vitae est restitutus. His temporibus tritico in Hybernia deficiente omnino sancti consilio inito viri, rogaverunt Kenanum quatenus in transmarinas partes ad illud inde mitteret apportandum: ipse etenim tunc tempore illuc mittere solebat pro necessariis. Quibus assentiens beato episcopo cui nomen Fergus atque Colmano qui cognominabatur obediens, illam incipere viam praecepit, quibus iter diei unius portum de quo navigare volebant adeundo progredientibus, incomparabilis Dei clementia sequenti nocte misereri non est dedignata. Super campulum namque loco ubi hospitabantur propinquum jam tunc exaratum sed non seminatum coelum affluenter pluit triticum, cujus super terram tanta fuisse refertur crassitudo quanta unius palmae sit latitudo, quod per Hyberniam omnibus sanctis divisum est totum, qui per hoc Deo gratias egerunt et Sancto Kenano. Interea quod construi fecerat templum ex integro est consummatum, quod ipse beatus pontifex cum sanctorum virorum numero ad honorem operis actito dedicabit. In quo plurimorum reliquiae sanctorum sunt conditae, ubi etiam corpus ipsius fundatoris beatissimi resurrectionem exspectat in adventu Jesu Christi. Cui cum Patre et Spiritu Sancto honor et gloria in saecula saeculorum. Amen.

R. Omnes gentes manibus plaudite, visu toto voces extollite,
Hodie praesul Kenanus transfertur egregie.
V. Plebem tuam, Domine, protege gloriosi Kenani praecamine.
Hodie. Gloria. Hodie.
V. Ora pro nobis beate Kenane:

In Laudibus.

A. Jocundetur in hoc solemnio Midensis devota concio,
Et Kenanum laudet plaudens in animo tantae lucis dotata radio.
P. Dominus regnavit.
A. Jesu bone, foedere
Tuae bonitatis,
Confirma nos munere
Tuae castitatis.
Amore tui athletae,
Parcensque peccatis,
Fac nos tecum vivere
Semper cum beatis.
P. Jubilate.
A. Episcoporum culminis militans in acie
Nunc conjunctus est agmini coelestis militiae.
P. Deus Deus.
A. Mens fuit angelica, lingua fructuosa.
Vita apostolica, morsque gloriosa.
P. Benedic.
A. O Kenane, sidus aureum, summi vas honoris,
Candorem servans niveum dono Creatoris.
P. Laudate.

Capitulum.

Ecce Sacerdos.

Hymnus.

A SOLIS ortus cardine,
Et usque terrae limitem,
Toto cordis conanime,
Christi laudemus militem,
Hic gloriosus Dominus,
Multis ministrans plurimis,
Divini verba numinis
Confirmavit miraculis.
Hic pia gestans viscera,
Per fidei constantiam,

Ab errore mortifera
Peste purgabit patriam.
  Deus pro nobis omnibus
Cum semper exaudiat,
Et a malis incursibus
Gregem suum custodiat. Amen.
V. Justus vir.
A. O praesul egregie,
  Doctor veritatis,
Puritatis vasculum,
  Norma sanctitatis.
Tua per suffragia
  Veniam peccatis,
Et vitam in gloria
  Praesta cum beatis.
V. Benedic.

Ad Vesperas.

A. Summa pollens
Praesul munditia,
Et praefulgens
Doctrinae gratia,
Spiritus clarus victoria,
Binae fulget coronae gloria.
V. Magnus.

Ad Tertiam.

Capitulum.

Ecce sacerdos.

Ad Sextam.

Capitulum.

In diebus suis non pertimuit principem, et in potentia nemo vicit illum; nec superabit illum verbum aliquod.

Ad Nonam.

Capitulum.

Ambulabit pes meus iter rectum, a juventute mea investigabam sapientiam, inclinavi modice aurem meam et excepi illam.

Ad Missam.

Sacerdotes Dei, benedicite Dominum.

Oratio.

Deus pro cujus, ut supra.

Capitulum.

Ecce sacerdos magnus.

Graduale.

Domine.
V. Vitam.
V. Alleluia.
V. Disposui testamentum electis meis, juravi David servo meo.

Evangelium.

Homo quidam nobis.

Offertorium.

Veritas mea.

Secretum.

Propiciare, Domine, supplicationibus nostris, et interveniente pro nobis Sancto Kenano confessore tuo atque pontifice his sacramentis coelestibus, servientes ab omni culpa liberos nos esse concede, ut purificante nos gratia tua eisdem quibus famulamur misteriis emundemur. Per.

Postcommunio.

Domine, quaesumus.

Postcommunio.

Deus qui nos a delictorum contagiis tuorum expias perceptione sacramentorum, praesta ut beati Kenani confessoris tui atque pontificis meritis a cunctis eruamur adversis, et coelestis vitae delitiis perfruamur. Per.

In festo S. Kyneburgae.

Oratio.

Omnipotens sempiterne Deus, qui gloriosam virginem Kyneburgam in praesenti saeculo per humilitatem et castitatem atque contemptum terrenorum, tibi placere gratiose fecisti, fac nos quaesumus per ejusdem virginis apud te preces humiliter et caste vivere, ac postpositis temporalibus coelestia desiderare. Per.

Secretum.

Sacrificium offerendum clementissime Deus precibus Sanctae Kyneburgae virginis acceptare digneris in remissionem peccatorum nostrorum, prout primitus obtulisti, et haec in tui memoriam nos facere voluisti. Qui.

Postcommunio.

Omnipotens et misericors Deus, quaesumus ut intercessione beatae Kyneburgae virginis haec sacrosancta misteria divini verbi virtute consecrata religiosae vitae mores in nobis stabiliant, et ad aeternae visionis ejusdem sacramenti in gaudia perducant, per Dominum.

A. Gloriosa Virgo Kyneburga, quae vivens in praesenti saeculo, per humilitatem et castitatem atque contemptum terrenorum omnipotenti Deo singulariter placuisti, impetra nobis per orationes tuas ad Dominum humiliter et caste vivere, ac postpositis temporalibus bona coelestia desiderare.

V. Ora pro nobis, beata Kyneburga, ut digni.

Oratio.

Omnipotens sempiterne Deus qui gloriosam virginem Kyneburgam praeclarae vitae virtutibus illustrasti, fac nos quaesumus in praesenti devotae conversationis ejus mores imitari, et in futura beatitudine cum ipsa finaliter laetari. Per.

FINIS.

LONDON: PRINTED BY
SPOTTISWOODE AND CO., NEW-STREET SQUARE
AND PARLIAMENT STREET